



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sacerdos Aut Sanctus Aut Reprobus**

**Dufrène, Maximilian**

**Augustæ Vindelicorum, 1743**

Lectio spiritualis ex Uno necessario P. Benedicti Rogaccii desumpta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60483](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60483)



# TRACTATUS

R. P. Benedicti Rogaccii S. J.

de filiali & familiari cum DEO con-  
suetudine,

Ex opere illius, cui titulus, *unum ne-  
cessarium*, hujusque parte secunda ex-  
cerptus à pagina 184. ad pag. 415. edi-  
tionis Pragenfis.

## CAPUT I.

*Curandum esse, ut noster erga*

*DEum amor sit jucundus, hilaris & confidens,  
qualis solet esse erga amicum, aut patrem.*

Spienter pronuntiatum à veteri Poëta est:  
(Ov. 3. *Metam.*) *non convenire amori cum  
majestâte.* Exuat supercilium, & princi-  
pi patrem misceat, oportet, qui amari filio-  
rum ritu à subditis vult. Si semper authori-  
tatis suæ pondere eos premat, nunquam, nisi  
dominantis vultu aspiciat, nunquam sibi ad-  
stare, nisi famulari cum submissione patia-  
tur, timeri quidem & observari ab iis pote-  
rit; impensè, flagrantèrque amari non po-  
terit. Hinc adeo usitatum, & solenne mul-  
tis Ducibus fuit, quò militum sibi animos  
arctio-



arctiori benevolentia devincirent; omni fastu abdicato, contubernaliū ritu cum iis agere, & ad intimam omnem familiaritatem & tantum non æqualitatē descendere. Qualē inter alios Cnejum Pompejum Cicero exhibet, adeò in congressibus humanum, & comem; (*Or. de Leg. Man.*) *Ut is, qui dignitate Principibus excellerat, facilitate par infimis esse videretur.* At si Principum quisquam hac ingenii, animique benignitate erga subditos fuit, altissimus totius universitatis Dominator quàm maximè est: volensque à nostra humilitate intimè amari, non tantum permittit, verum etiam ex animo cupit, ut salvis observantiæ sibi debitæ legibus eam cæteroqui inter agendum cum ipso familiaritatem usurpemus, qua quilibet cum veteri amico, & sodali, vel filius cum indulgentissimo parente uti solet.

2. Et verò ullane supremus ille mundi arbiter luculentiora exhibere nobis poterat sui hujusce animi documenta, quàm quæ per inauditam quamdam benignitatem toties exhibuit, assidueque exhibet? Ultimæ popularitatis significationes, ad quas principum quispiam sese possit demittere, sunt, quantum animo assequor, si externo quovis fortunæ apparatu deposito plebeji hominis habitum induat, solus, & sinè ullis stipatoribus infirmorum civium domos subeat, agat, deambulet, epuletur cum ipsis, non aliter, quàm si ex ipsorum numero unus foret,  
fratres,



fratres, sodalesque eos appellet, nec iisdem nominibus compellari ab iis dedignetur. At nunquid non hoc prorsus pacto cœlestis se Dominus erga nos gessit? Nonne obtectis panoso fervi schemate divinitatis fulgoribus ex altissimo suo solio in ima terrarum descendit, mortalem hinc vitam non uno, alterove tantum die, sed triginta tribus ipsis annis nobiscum acturus: quin imò neque in immortalem suam regiam reversus, pudori sibi ducit, ignobile nostræ carnis indumentum gestare: pergitque etiamnum inter nos hic morari: *Omni diebus usque ad consummationem sæculi*, abjectiorem humano habitum, panis nempe imaginem præferens: & sub vili adeò specie non domos duntaxat, sed ipsamet viscera contemptissimi cujusque homuncionis subire, factus inauditæ familiaritatis prodigio nedum homo, sed hominum cibus. Neque his omnibus suæ satis indulgentiæ factum existimans, ne infinitæ majestatis suæ species nostram humilitatem servili terrore à se arceret; quibus exquisitissimis loquendi formulis suam erga nos charitatem exprimere, & animos nobis facere ad liberi amoris fiduciam omisit? Nonne illum in Proverbiis audimus, dicentem: (c. 8.) *Delicia mea esse cum filiis hominum?* Nonne per Isaiam pollicetur, nunquam fore, ut nostri obliviscatur. (c. 49.) *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliviscar*

K

tui:



tui : addens præterea , delicias se nobis facturum iis similes , quas facere suis matres infantulis solent : ( c. 66. ) *Ad ubera portabimini & super genua blandientur vobis.* Quomodo si cui mater blandiatur ; ità ego consolabor vos. Nonne dilecti sui discipuli verbis testatur , nequam pro servis nos apud se esse , quales cæteroqui naturâ sumus : *Jam non dicam vos servos : sed pro amicis , vos autem dixi amicos ; imò etiam pro filiis , videte , qualem charitatem dedit nobis Pater , ut Filii DEI nominemur , & simus ?* ( *Evang. c. 15. Ep. 1. c. 3.* ) An non demum in D. Matthæi Evangelio jubet se à nobis cum eo agere incipientibus statim patrem vocari , ( c. 6. ) *Sic ergo vos orabitur Pater noster , qui es in cælis.* Quod tantæ familiaritatis nomen , prout S. Cyprianus observat , ( *de Orat. Dom.* ) nemo nostrum in oratione ausus esset attingere , nisi ipse nobis sic permisisset orare. Quanquam parùm adhuc visum ipsi est , Patrem se à nobis vocitari ; sed vult insuper , ut ejusmodi nomen sibi tribuamus cum ea simplicitate , & confidentia , qua pueruli etiamnum balbutientes proferre illud inter loquendum cum suis patribus solent. Ità sanè interpretatur Theodoretus illa D. Pauli verba ad Romanos : ( c. 8. ) *Non enim accepistis spiritum servitutis , sed spiritum adoptionis , in quo clamamus , Abba Pater.* Abba siquidem in sermone Syriaco patrem denotat , sed puerili more prolatum , ceu *tata* apud Latinos : ut proinde , dicens Apo-

Apo-



Apostolus, nos à Spiritu sancto incitari ad compellendum DEum hac voce, *Abba Pater*; non aliud juxta prædicti Authoris explicationem innuat, quàm incitari ad DEum, audacula, & simplici puerorum libertate, patrem vocandum. (*in Ep. ad Rom.*) *Adjecit Abba, ostendens libertatem dicendi. Pueri enim majori libertate utentes apud patres frequentius ad eos ea voce utuntur.* Et post hæc à DEO nobis præbita amoris usque adeò non efficacis duntaxat, sed & suavis, ac teneri monumenta, erit adhuc, qui timeat, ne ille servili potiùs cum trepidatione, quàm confidenti, amicâque cum libertate agi secum ab hominibus velit? Certè, cùm filiorum, & amicorum in numero nos habere se prædicet, patérque à nobis, imò & *Abba Pater* appellari gaudeat; dubium esse nemini potest, quin fiduciam hujusmodi nominum propriam peculiari approbet modo, & gratissimam habeat.

3. Idque novo adhuc argumento confirmatur validius. Quia, si quæ in contrarium suppeteret ratio; hæc vel unica, vel potissima videtur fore, quòd per nostram hujusmodi familiaritatem vilescere, aut minui saltem posset, creatâ omni infinitè augustior, supremi imperatoris majestas. Qua de causâ terreni principes haud solent ad promiscuam cum vulgo consuetudinem se demittere, neque liberam subditis facultatem dare secum familiariùs agendi: imò si eorum fors



quispiam ultrò sibi illam sumat, iniquo animo audaciam hanc ferunt: & meminisse hominem submissionis debitæ jubent. Quem admodum fecisse Augustus Cæsar traditur, cum à nescio quo civium invitatus ad cœnam, sed parcè admodum, & apparatu, qui sodali potius conveniret, quàm Cæsari, acceptus fuisset, dicens illi in digressu, (*Macr. l. 2. Saturn. c. 4.*) *Nesciebam, me tibi adeò familiarem esse.* Ut de Septimio Severo interim taceam: (*Spart. in Severo*) qui, antequam ad imperii culmen conscenderet, Legatus in Africa, quòd vetus quidam suus familiaris, sed plebejus de nova amici dignitate gestiens, ad amplexandum eum cucurrisset, ægrè adeò ingenuam illam hominis simplicitatem tulit, ut protinus virgis cædi illum jusserit, præcone interim clamante, condiscant hinc plebeji homines, reverentiùs deinceps cum populi Romani Legato agere. Sed prædicta ratio nihil loci, viriùmque in DEO habet. Si enim terrarum Domini peculiarem aliquam exigere à vulgo in exteriori secum consuetudine reverentiam solent, inde id provenit, quòd eorum magnitudo, & potestas, utpote adventitia, fundamento admodum fragili nititur, pluribùsque ad retinendam subjectorum venerationem administrandis eget. Cùm cælestis æternique Regnatoris majestas, ceu finitum omnem modum prætergreditur, nec alibi, quàm in ipsamet divina sua essentia consistit; sic ex-



tra timoris aleam sit, ne per quamcunque erga subjectos sui acclinationem decrescat. Possum cum eo conversari, scribit D. Teresia, (in Rel. vit. c. 33.) tanquam cum amico, etiamsi revera sit Dominus. Novi enim, haud quaquam ex illorum numero eum esse, quos hic compellamus Dominos, quique totam suam dominationem in factitia quadam, & extrinsecus accersita auctoritate constituunt. O Rex gloria, & Domine dominantium, sat liquidò apparet, regnum tuum nullis statuminum, asserumque fulturis suam firmitatem debere. Haud opus tibi est aulicorum deducentium, & stipantium pompâ, ut regem te prodas. Cùm terrenos contra principes, qui solos, & absque consuetis satellitibus viderit, agnoscere pro principibus nequeat, utpote nihil per se habentes, unde supra reliquorum hominum vulgus emineant. Quare ascititiis hujusmodi apparatus, & auctoritatis adminiculis egent, nulla alioqui in aestimatione apud intuentes futuri, ceu nullam ex natura sua privilegio peculiarem potentiam, & dignitatem sortiti. Imò tantùm à vero abest, DEum, quia infinito dignitatis, potentiae, & magnitudinis intervallo creatas res omnes excedit; congruentiorem inde causam habere, humanum genus à familiari secum consuetudine arcendi; ut hoc ipso nomine videatur ad intima quæque secum commercia illud posse tutius admittere. Cùm juxta verissimam Plinii observationem, quantò quisque Princeps imperii amplitudine, & potentiâ plùs eminent, tantò minùs adeat



periculum suæ apud subditos minuendæ auctoritatis, si se illis, sibique illos populari affabilitate quodammodo misceat. (*in Paneg.*) Nam, cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ. Neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abest, quam ab humilitate. Unde etiam videmus, ceu à Dione additur, supremos populorum rectores, ac Dominos minùs indignari, si quis fortè ex præscriptis in aula reverentiæ, officiique ritibus, non adeo scrupulosè observatus secum fuerit; quam offendi propterea, & in contumeliæ suæ loco accipere idem soleant eorum ministri. Qui enim (ita memoratus Scriptor) dignitate propria eminent, neque salutationes istas ab aliis requirunt; neque omissas vitio vertunt, gnari, non id ex contemptu sui fieri. At, qui ascititiis ornamentis utuntur, summopere ea, tanquam ad perfectionem suæ dignitatis necessaria, desiderant: ac, nisi consequantur, tanquam probro, incuriæque affecti commoventur. Quare magis ejusmodi homines, quam ipsi ferè imperatores sunt observandi. Nam apud hos virtutis locò habetur delictorum gratiam facere; apud illos verò, si quid delinquitur, imbecillitatem suam arguere creditur, facerèque ad firmandam potentiæ opinionem, si ulciscantur. (. L. 58.)

4. Denique nemo ibit inficias, gratum DEO esse, si eo secum modo agamus, qui nos maximè idoneos reddit ad perfectam ipsi exhibendam servitatem, cùm nihil ille aliud



aliud in mundi administratione, omnibusque  
suis operibus spectet, nisi suam gloriam,  
hominumque utilitatem, quæ ambo præsti-  
tus à nobis ei famulatus inseparabiliter con-  
tinet. Atqui, si certissimè apud omnes id  
constat, certissimè item constet, necesse  
est, non posse DEO displicere, imò ac-  
ceptam in primis esse nostram hanc, de qua  
loquimur, familiarem, atque amicam cum eo  
conversandi rationem: quando neque DEI  
famulatus alibi magis positus, quàm in amore  
Dei est; neque alio nos pacto aptiores ad eum  
intimè amandum, quàm familiari, atque ami-  
ca cum eo consuetudine efficimur. Et ad pri-  
mæ quidem propositionis evidentiam satis est  
recordari eorum, quæ aliàs de amoris na-  
tura universè statuimus: nempe hunc con-  
sistere in suavi quadam propensione animi  
erga objectum amatum, qualis est rerum  
sensu carentium propensio erga suum bo-  
num, putà corporum gravium erga mun-  
di centrum: adeò ut quemadmodum hæc  
minimè patitur corpora gravia, sive us-  
piam extra mundi centrum quiescere, sive  
ad alium quemquam terminum ferri, sed  
assiduis impulsibus eò versùs illa urget; sic  
amor, ubi potitus animâ est, illiusque do-  
minatum obtinet: neutiquam ei jam permittit  
sive intra se ipsam quiescere, sive aliorum,  
quàm erga bonum à se amatum moveri;  
sed ad hoc suum quasi centrum eam assi-  
duè, omnesque illius motus impellit. Qua  
convenientia, & proportione observata,



scitè Augustinus & amorem vocavit pondus animæ, scribens : *Pondus meum amor meus : eo feror, quocunque feror ; & pondus amorem corporum, addens : Amores corporum momenta sunt ponderum. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocunque fertur. (l. II. de Civ. c. 28.)* Hoc siquidem posito æquè manifestum fit, haud posse nos meliùs nostro conditori, quàm eum amando servire ; ac manifestè perspicitur, neque meliorem aliam nobis esse illi serviendi rationem, quàm si omnes nostrorum animorum motus ad eum dirigamus ; neque ab ullo hoc exactiùs, quàm à vero, intimòque illius amatore præstari. Nihil itaque ultrà mihi obstat, quo minùs extra omne dubium cum Hugone Victorino concludam : *DEO servire, DEum diligere est, & qui non diligit, non servit ; & qui diligit, servit : & qui parum diligit, parum servit : & qui multum diligit, multum servit. (Serm. 88.)*

5. Jam verò ad fovendum, augendùmque hunc amorem, nempe hanc totius animæ, & omnium illius motuum collineationem in DEum, ubi summa consistit divini tamulatus perfectio, liberalem fiduciam, quàm humilem metum plùs facere ; veritas est nihilo priori minùs clara, & oculis patens. Cui enim dubium esse possit, quin & propriiissima amoris qualitas sit, libenter cum amato agere ; & libentiùs unusquisque cum eo agat, quocum familiaritas sibi intercedat, quàm cum eo, quem revereri,



ri, ac timere tantummodo cogitur? Nemo certè oblectamenti locò ducit assiduè versari coram principe, rigido obsequii exactore, quique neminem ferat sibi adesse, nisi fronte submissa, & toto corpore ad humilem reverentiam composito. Quin imò servilis ille corporis, animique habitus, & violenta sese perpetuò circumspiciendi necessitas gravis adeò humanæ libertati accidit, ut tolerari diu nequeat. Cùm contrà principis alterius consuetudo, qui se nobis familiarem exhibeat, & nostra secum familiaritate gaudeat, prorogari ad solidos dies, nedum sinè tædio, sed & jucundè, ac delectabiliter possit. Quapropter, si aliquis nunquam DEUM sibi aliter repræsentet, quàm ut infinitæ magnitudinis Dominum, & præ quo non ipse duntaxat, sed omnis quoque rerum creatarum universitas longè quid minus, contemptiùsque atomo sit; nã tantæ majestatis terror, affectus parùm suapte natura delectabilis, remoræ ipsi potiùs, quàm invitamento erit ad eum sibi assiduè præsentem habendum, illiùsque consuetudinem suaviter, ceu amantium mos est, toto die producendam. Secùs omnino, atque alteri usuveniet, qui concipere DEUM animo soleat, tanquam Dominum, infinitæ quidem majestatis, & potentiæ, sed & prodigiosæ adeò, immensæque benignitatis, ut nos abjectissima cæteroqui capita, & repentés humi vermiculos, filio-



rum in numero habeat, próque vero patre à nobis haberi velit. Nempe hic, quanto digniorem summa omni veneratione, ac reverentia DEum esse perspiciet, tantò suaviorem illius præsentiam, consuetudinèque experietur, ceu, quæ in memoriam ei revocabit, tantum totius universitatis Dominum suum esse amicum, & patrem. Ac proinde nil laboris, molestiæque, imò plurimum voluptatis reperiet in continuanda per totum diem illius memoria: nec aliter ad orationem se conferet, quàm si ad amicum vocaretur, & miræ jucunditatis colloquium. Quia scilicet, prout verissimè ait D. Augustinus, vel quicumque alius composuit *Manuale*, ipsius nomini vulgò adscriptum, (c. 19. & 20.) *qui amat, fiducialiter accedit ad DEum: DEum familiariter percontatur, consultatque de omni re. Amor dat familiaritatem, familiaritas ausum, ausus gustum.* Quid plura? adeò ad quamcunque personam amandam necessarium videtur aliquid confidentiæ, & libertatis cum ea habere; ut D. Petrus Chrysologus nullum esse amori locum affirmet in corde, quod nimius occupaverit timor: (*Serm. 147.*) *Amare non potest, qui satis timet.* Quapropter cum haud facilè amari intimo ex corde, ac medullitus queat, qui offuso nimix majestatis terrore cor nobis adstringit; concludi tandem potest, DEum, sicuti teste D. Laurentio Justiniano, (*de Disc. & pers. mon. con.* c. 16.)



e. 16.) nostro magis amore, quàm timore delectatur; (*semper enim omnipotenti DEO magis complacuit amari, quàm timeri*) ita plus probare, si ad eum cum hilari filiorum confidentia, & libertate, quàm si cum servili anxietate & submissione accedamus. Quæ veritas usque adeò certa apud Apostolum est, ut non contentus prolato superius à nobis loco, eam affirmâsse scribens Romanis: *Non enim accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater*; contestatam rursus velit in secunda ad Timotheum Epistola his verbis: *Non enim dedit nobis Dominus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis (c. I.)*

6. Unum id solummodo quæri posse hîc à quopiam videtur, num prædicta scilicet ratio familiariter, amicéque agendi cum DEO, quam adeò esse, & ipsi acceptam, & nobis utilem vidimus, ab omnibus promiscuè usurpanda sit; an iis tantùm conveniat, qui non mediocres in virtutis curriculo progressus jam fecerint? Qua super re nullum mihi occurrit expeditius, certiusque responsum, quàm omnes laudabiliter affecturos eam esse, qui capaces tum illius usurpandæ, tum spiritualis fructûs capiendi ex ea sint. Ubi primùm capacitatem illius usurpandæ requiro: nam, qui perexigua DEI notitiâ instructus foret, animâmque vana æstimatione, & immodica cupiditate rerum terrenarum occupatam haberet;

ret;



ret, dubitari à nemine potest, quin ob ejusmodi impedimenta minimè aptus esset, ceu ad DEum intimè amandum, sic ad illam familiariter, fidentérque cum eo agendi rationem, quæ non nisi intimè amantium est propria. Addo præterea, opus esse habilitate ad interiorem animi frugem ex ea referendam. Siquis enim nondum firmas radices in profunda sui nihili, extremæque suæ coram DEO vilitatis cognitione jecisset, nec mortiferum quodvis crimen adeò supra omnia præsentis vitæ mala horreret, ut nullius à longo pridem tempore admissi conscientiam morderetur, næ illi necesse esset, talia spiritualis vitæ instrumenta, & præsidia sibi prius comparare; alioquin locò percipiendi ex amica, & familiari cum DEO consuetudine utilitates illius proprias, noxia inde potiùs referret levitatis, fastûs, socordiæ, similiùmque animi pestium fomenta; in peccandi pericula temerè se conjiciens, præ se alios parvi æstimans, solidarum virtutum exercitationem negligens, neque illam familiari suo erga DEum amoris reverentiam jungens, quam à familiari vel amicorum mortalium, & naturâ invicem parium consuetudine nunquam separari vult Tullius, exigens ab iis, ut *non solum inter se diligant, sed etiam vereantur.* ( *de Amic.* )

7. Cæterùm, ubi id genus condiciones non defunt, sed aliquis & à lethalibus  
noxis



noxis procul se habet, & leviores item studet vitare, & pravis affectionibus subigendis, necessariisque virtutibus sibi comparandis operam navat, & persuasissimum habet, nihil se præ DEO esse, nihilque sine gratuita, & assidua ope illius posse; ubi, dico, talis quispiam est, & ita secundum ordinariam vivendi rationem compositus; non video, cur ex Christianæ humilitatis impulsu, & suarum imperfectionum conscientia familiarem, atque amicam cum DEO conjunctionem refugere potius debeat, quam ob fructus sibi inde proventuros appetere. Nisi fortè quis dicat, pertinere ad Christianam humilitatem, ut illius professores divina etiam munera, & spiritualia sua emolumenta repudient. Quod ubi admittetur, laudabilius jam erit, si unusquisque nulla interioris suæ utilitatis ratione habita à sanctissimo Christi corpore manducando, quantum licet, abstineat: veluti à familiaritatis specimine, quo nullum edi inusitatum magis vel erga conjunctissimos hominum potest, quoque erga DEum uti ultra omnem confidentiam atque audaciam videatur. At cui unquam inter Theologicæ, seu scholasticæ, seu mysticæ Authores talem promulgare humilitatis regulam in mentem venit? Satis esto audire, quid visum de ea sit S. Teresiæ, insigni adeo rerum asceticarum magistræ. *Omittantur*, ait illa, (*in Itin. perf. c. 28.*) *verecundia quidam*

dam



dam sensus, quos nonnulli esse humilitatis putant: cum tamen hæc non consistat in regis muneribus repudiandis, sed in agnoscendo illa esse liberalitatem gratuitam, neque nostris meritis debitam. Lepidum enim verò humilitatis genus: habere me domi supremum cœli, terrarumque imperatorem, qui eò accessit, ut sua mihi dona impertiret, seque mecum oblectaret; nec modestia causâ velle ei respondere, cumque eo conversari, & quæ largitur, accipere. Ne curæ vobis sit, filia, ita esse humiles; sed agite cum illo, veluti cum parente, cum fratre, cum hero, & cum sponso. Curnam esse fatuæ velitis? Poscite ab ipso, ut stet pactis vobiscum, & cum vester sponsus sit, tanquam sponsas vos tractet.

8. Præterea, si novus ille humilitatis canon legitimam vim obtineret, non rudes, ac novitii solummodo, sed veterani insuper, & consummatissimi quique sanctioris vitæ cultores procul ab omni amicæ familiaritatis ausu non aliter, quàm timida, servilique cum reverentia DEO famulari deberent, cum ipsi quoque nihilo prioribus minus esse humiles debeant, minusque dignos se credere, qui cum summa cœlestis Domini majestate confidenter, amicéque agant. Libet itaque argumentari in hunc modum: vel ad familiarem cum DEO consuetudinem necessariò requiritur, dignum eâ usurpandâ per se hominem esse; vel fatis est, illius usum omnibus, qui ad spiritualem inde fructum percipiendum habiles sunt, esto



esto cæteroqui immerentibus, & minimè dignis à divina bonitate permitti. Si prima pars verior videtur, nemo hominum, licèt sanctissimus, imò neque ullus vel supremi chori Angelus citra summam temeritatem affectare illam poterit. Sin alteram potiùs admittamus, cuilibet, dummodo majorem inde animi frugem se colligere experiatur, nedum extra omnem arrogantiae notam, sed & magna cum prudentiæ laude ea uti licebit. Cùm nequeat DEUS pro minori erga se reverentia ducere, quod ad ampliorem nostram utilitatem conducit: ceu & suprà jam statuimus; & illis confirmatur, quæ in Concilio Ephesino pronuntiata sunt, gravissimis verbis (*Ap. S. Th. p. 3. quest. 51. a. 1 ad 3.*) *Nihil horum, quæ salvant hominem, injuriam facit DEO: nihil putat injuriam DEUS, quod est occasio salutis hominibus.* Vel hoc alio pacto eandem argumentationem instituo. Amicum, & familiare commercium cum DEO nemini tu esse permitendum contendis, nisi hominibus ad exitum sanctitatem provectis. Cur, rogo, hisce solis? nullam certè aliam potes causam proferre, nisi quia ipsi tantùm vel capaces inde proficiendi, vel digni eo utendi sint. Atqui si primum dicis, non de summa, sed de quavis capacitate intelligens temerè id dicis, & D. Bernardum palam contradicentem tibi habes, qui Salomonis Cantica exponens, *omnem animam, docet, licèt*  
*onera-*



*oneratam vitiis, irretitam peccatis, luto haren-*  
*tem in se advertere posse, non modò unde respi-*  
*rare in spem misericordiae queat, sed & unde aspi-*  
*rare audeat ad nuptias verbi cum DEO inire for-*  
*mus societatis non trepidet, suave amoris jugum*  
*cum rege Angelorum ducere non vereatur. (Serm.*  
*83.)* Si verò posteriori causæ inniteris, ex  
 opinione tua sequitur, opus esse, ut qui  
 amici, filiique ritu, conversari cum DEO  
 vult, ità priùs apud se statuatur: ego jam  
 abundè in sanctimonia profeci, dignusque  
 sum, qui liberius & confidentius cum DEO  
 agam. Quod iudicium, non video, quò  
 excusari ab arrogantia possit: cùm illud  
 concipiens non aliunde, quàm ex suis me-  
 ritis audendi fiduciam sumat: saltem multò  
 minùs humile, ac modestum eo iudicio vi-  
 detur, quod ab hominibus etiamnum im-  
 perfectè virtutis concipiendum esse ego af-  
 firmo, quando ad DEum propiùs accedunt;  
 nempe ut intra se dicant: tanta est DEI ma-  
 gnitudo, & mea coram eo vilitas, ut in-  
 dignus sim vel oculos ad eum intuendum  
 tollere, osque ad loquendum cum ipso ape-  
 riri; nedum patrem vocare, & tanquam  
 cum tali jucundam consuetudinem institue-  
 re. Quia tamen & multùm mihi hoc conferre  
 ad spiritualem profectum experior; & ipse  
 pro ineffabili sua benignitate, ut secum sic  
 agam, permittit, nolo cum animi detrimento  
 illius dona respuere. Tantùm igitur à vero  
 abest, eos, qui mediocriter in sanctiori vi-  
 ta



ta profecerunt, minus reverentiæ, ac submissionis præferre, dum ità animo comparati familiariter DEO adhærent, ut eâ potius carere dicendi essent, qui supremas sanctimonix metas assecuti jam videntur, si illius familiaritatis privilegium sibi unis convenire arbitrarentur: quippe, qui usurpandi illud causam non ut priores ex sola cœlestis Patris indulgentia, sed ex propriæ virtutis suæ merito ducerent. Veluti ex duobus, quorum alter indignum se cæteroque ob sua crimina tanto munere existimans octavo quovis die ad sacram Evcharistiam, tanquam ad cœleste sui animi medicamentum accedit; alter verò, ut ad eam dignè accedat, non nisi semel toto anno id facere audet; primum illum remotiorem ab omni arrogantix specie, quàm hunc alterum, Cassianus censet. Cujus doctrinam, quia ad præsentis rei declarationem plurimum facit, juvat hìc paulò fusiùs ipsismet illius verbis attexere. *Nec tamen* (Ita apud ipsum Abbas Theonas pronuntiat) *ex eo debemus nos à Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores: sed ad eam magis est propter animæ medicinam, & purificationem spiritûs avidè festinandum: verumtamen ea humilitate mentis, ac fide, ut indignos nos tantæ gratiæ perceptione judicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioquin nè anniversaria quidem dignè est præsumenda communio: ut quidam faciunt, qui ità sacramentorum dignitatem,*



ac meritum metiuntur ; ut astiment , ea non nisi sanctos , atque immaculatos debere præsumere : & non potius , ut sanctos , mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profectò majorem arrogantia præsumptionem , quam declinare sibi videntur , incurrunt : quia vel tunc , cum ea percipiunt , dignos se eorum perceptione dijudicant. Multò enim justius est , ut cum hac cordis humilitate , qua credimus , & fatemur , illa sacrosancta Mysteria nunquam pro meritis nos posse contingere , singulis ea diebus Dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus ; quàm ut vana persuasionem cordis elati , vel post annum dignos eorum participio nos esse credamus. ( Coll. 23. ult. )

9. Moneo postremùm , ad præcavendas dæmonis fraudes necessarium videri , ut nemo sive ordinariæ , sive eximiæ virtutis inter suavem hanc intimi amoris cum DEO necessitudinem eorum obliviscatur , quæ ad hominem , abjectamque de se ipso opinionem faciunt : nimirum se hominem esse , mera DEI bonitate è nihilo eductum , nulli bonæ rei vel assequendæ , vel efficiendæ per se idoneum , plurimorum criminum reum , & ad quævis alia perpetranda , plus quàm dici possit , suo ingenio proclivem , quàm nihil DEO necessarium , tam semper , & ubique illius auxilio indigentem , perfectæque idcirco subjectionis , atque obedientiæ ipsi debitorem : tanquam Domino , qui licet nunc per inauditam quandam benignitatem in



in filii, atque amici loco se habeat; nihil dubitabit tamen, si legitimum ipse obsequium fors exuat, & familiari secum usu ad peccandi abutatur licentiam; ex suorum albo eum confestim eradere, pro inimico, & perduelli odîsse, æternisque insuper suppliciis, nisi tempestivè resipiscat, afficere. Neque contentus sit, omnia hæc cognita habere, atque inter conversionis suæ initia pluries perpendisse: sed curet præterea identidem animo retractare, quique hujusmodi notionibus congruunt, profundissimæ erga DEum submissionis, & reverentiæ sensus concipere. Ita tamen, ut post pia id genus necessariæ humilitatis exercitia ad amicam, atque hilarem cum DEO consuetudinem redeat: & hac quidem, quasi cibatu ad quotidianam animi refectionem; illis verò ceu pharmacis ad extraordinarias opportunitates utatur.

## CAPUT II.

*Ad prædictam cum DEO agendi rationem opus esse, ut genuina de illo species in mente formetur, nonnullis inde plantasiis, & commentis exclusis, quàm à propria illius benignitate abhorrentibus, tam nostri erga illum amoris suavitati contrarius.*

Jure queritur Clemens Alexandrinus (L. 7. Strom. c. 2.) non satis esse hominibus, si DEum imaginentur, & pingant, quales



les ipsi sunt, nigrum putà Æthiopes, & Thraces caruleum; sed progredi ulterius, ad mores quoque ipsi tribuendos, affectusque, & instinctus hominum proprios. Perinde quasi verum, germanumque Conditoris sui exemplar homo esset, nec potius argui è contrario deberet, talis est nostra, ergo longè alia DEI ratio, & natura. Ex hac porro absurda consuetudine effingendi ad nostram speciem illud nulli imitabile, sed omnino singulare, atque unicum Ens, quemadmodum alibi pluries, sic in præsentis etiam materia non pauci, nec exigui errores proveniunt. Qui, quoniam commendatæ hinc à nobis divini amoris suavitati recta fronte adversantur, demonstrandum existimo, quàm à vero absoni sint, nulliusque momenti esse debeant, ad cordatum quemque hominem ab amica, & familiari cum DEO conjunctione absterrendum.

2. Et primò errant hinc multi, DEUM intra se comminiscetes, terrenorum instar principum, suæ ubique Majestatis custodem sollicitum. Adeò ut, quemadmodum hic conservandæ authoritatis suæ gratiâ timeri à subditis volunt, nec nisi uni, alterive ex primariis aulæ proceribus familiares se exhibent, sic ipse etiam supremus *Rex regum, & Dominus dominantium*, coram quo creata quævis entia sunt, quasi non sint; nolit secum agi, nisi pro incomparabilis excel-



cellentiæ suæ merito : & intimiori aliqua communicatione solis reservata cælestis suæ regiae principibus , nos terræ ignobiles filios , & sua infimæ notæ servitia , neutiquam patiat sibi adstare , nisi cum eo profundissimæ submissionis , extremique horroris sensu , qui à mortali nostra conditione infinitæ illius dignitati debetur. Sed enim verò , quàm alienus ab hac magnitudinis ostentatione , atque pompa , imò quàm , ut ità loquar , popularis , & in se omnibus evulgando sit profusus immortalis Regnator , quantò gratius ei sit amari à suis famulis , quàm timeri , quantam abjectissimo cuique facultatem indulgeat confidenter , & filii ritu ad sese accedendi , quàm denique , ut Bernardi , & Petri Chrysologi verbis utar : (*Serm. 69. in Cant. Serm. 7.*) *Sponsum exhibeat , qui Dominus est : & velit charitate magis , quàm potestate regnare ;* nullis hinc argumentis demonstrari eget , cùm in præcedenti capite ostensum jam planissimè sit. Satis esto duntaxat , coronidis quasi locò ibi dictis superaddere præclaram D. Teresiæ animadversionem ex libro *conceptuum amoris divini*. Ubi cùm mentionem fecisset offensionis , quam pusilli nonnullorum animi ex amatoriis Salomonis Canticorum sensibus capiunt ; narrâssétque quanto cum auditorum risu excepta fuerant , quæ Concionator quidam ad flagrantissimum erga nos DEI amorem repræsentandum ex eo libro deprompserat ;



subdit, causam rei esse, quòd ejusmodi homines non satis advertant, quàm inaudita, & prodigiosa suæ erga nos charitatis monumenta DEUS exhibuerit, dum pro nostra asserenda salute acerbissimæ morti se obtulit, & suum nobis corpus in Evcharistia sumendum reliquit: monumenta certè amoris, usque adeò omnem verborum benignitatem excedentia; ut, quisquis ea ritè perpenderit, nullas in sacris usquam libris amatorias DEI voces reperturus sit, quæ, non dicam, supra modum exaggeratæ ipsi possint videri; sed & tota significationis suæ vi ardentissimum, intimúmque illius amorem æquè, ac hujusmodi opera exprimant. *Concludo itaque* ( sic ipsa in prædicti libri capite primo ) *nihil esse, cur admiratio vos capiat de ullis peramantibus verbis, quæ DEUS anima in sacris literis dicat. Amor, quo ille nos re ipsa persecutus est, ac prosequitur, plus admirationis mihi affert, meique extra sensum me abripit: videntem nullis loquendi formis plenè, vividèque adeò illum representari, quin expressius representetur factis. O mi JESU! & quid nos admiratione afficit? Nónne admirabilia sunt opera? Nónne ipsomet Servatoris DEI corpore in Evcharistia vescimur?*

3. Nec à vero minùs devii feruntur, qui in proprio, germanóque sensu accipientes, metaphorica quædam sacrarum literarum dicta, ubi DEUS sub furibunda, & terribili imagine intuendus proponitur; non



non aliter eum concipiunt, quàm instar Domini irâ effervescentis, qui assiduè ob-  
jurgat, minitetur, & flagrum in manibus, furorémque in oculis præferat. Unde ori-  
tur, injucundam iis esse illius recordatio-  
nem, tanquam objecti, à cujus specie ani-  
mum sibi contrahi experiuntur. Et, quam-  
vis nullius præsentis peccati conscientia  
mordeantur, nullámque justam habeant ra-  
tionem timendi, ne ille iratus adversum se  
sit; nihilominus, quemadmodum, ubi ali-  
quis in iracundiæ fermento est; neque ipsi-  
met domestici, & filii agere tunc cum eo  
audent; ità ipsi DEum sibi fingentes, assi-  
dua indignatione commotum propter scele-  
ra, quæ ubique cernit patrari, & sem-  
piterna jam horum, jam illorum damna-  
tione continenter ulciscitur; timent ad eum  
propiùs accedere, tanquam parùm in eo  
æstu familiaribus & jucundis colloquiis ido-  
neum. Atqui ego id genus phantasias in-  
dignissimas esse, ajo, quæ ab homine vel  
mediocris sapientiæ concipiantur de DEO:  
curandúmque cuivis esse, ut eas pro vulgi  
deliramentis habeat, penitúsque à sua men-  
te proscribat: certissimè sibi persuadens:  
supremum illum mundi rectorem nulli ob-  
quæcunque hominum malefacta, vel mini-  
mæ perturbationi esse obnoxium: sed,  
prout in libro Sapientiæ affirmatur, etiam  
cùm peccantes minis territat, meritisque  
afficit pœnis, (c. 12.) *cum tranquillitate ju-  
di-*



dicare, pacatissimum, quietissimum, nec quidquam ex præcipiti furoris instinctu, sed omnia ex mero, sedatòque recti amore discernentem: instar legum, quæ secundum M. Tullii observationem in vetandis criminibus; & eorum constituendis suppliciis, (L. 1. de Off.) *Non iracundia, sed æquitate ducuntur*, convenienter à Philosopho nuncupatæ, (L. 3. Polit. c. 12.) *Mens absque appetitu*. Talis, inquam, humanarum ità omnium perturbationum expers, nec sub alia, quàm æquissimæ legis, imò ipsiusmet purissimæ, universalis, æternæque æquitatis specie concipiendus nobis DEUS est, si dignam, propriamque ejus imaginem formare in animo volumus. Unde & ipse apud Oseam pro lenitatis suæ causâ affert, quòd non homo, sed DEUS sit: (c. 11.) *Non faciam furorem ira meæ, quoniam DEUS ego, & non homo*; & D. Joannes illius solium, quamquam fulgetris, & tonitruis indè prorumpentibus terrificum, iride, proprio tranquillitatis, & pacis hieroglyphico circumvallatum vidit: (Apoc. 4.) *Et iris erat in circuitu sedis, & de throno procedebant fulgura, & tonitrua*. Perinde quasi designaretur ejusmodi imagine, etiam quando tonat jurgis, minisque, & suppliciorum jaculatur fulgura; ipsum omnia hæc absque ullo perpetuæ, immotæque suæ pacis detrimento facere. Certè haud novum quid omnino, inauditumque est, reperire inter homines judi-



judicem quempiam placidissimæ indolis, omnique iracundiæ felle vacuum, qui tamen ex mero æquitatis studio sancitam à legibus poenam, cuicumque eam merenti, etsi amico, & consanguineo præscribat, dicens: damnabo, fili, lex ita decernit, & secundum eam judicari necesse est. Ego, quod ad me pertinet, quique meus erga te amor est, multò mallem te absolutum dimittere, quàm damnare; sed quoniam communis æquitatis ratio aliud exigit, patere illam suum jus obtinere, nec à me, qui coactus iussa exequor, sed ab ea sic fieri jubente, imò ut veriùs loquar, à tua ipsam, ut id jubeat, impellente malitia condemnari te credito. Quapropter facillimum cuique erit, similem in DEO quoque exterioris severitatis cum interiori lenitate conjunctionem agnoscere: proponendo illum sibi tanquam principem, ad mansuetudinem & clementiam pronissimum, nec quidquam cupientem magis, quàm omnibus, etiam extrema ausis facinora, veniam, salutemque impertiri: sed qui nihilominus, quos in morte capitalis noxæ reos deprehenderit, solo amore justitiæ permotus, quàm inexorabiliter, tam placidè, & procul ab omni in eos ira, odióve condemnet. Nisi fortè minùs propriè loquendo, iram nominare, atque odium velimus externam eos cruciandi actionem, veluti affectum, ab ira, odióve produci apud homines solitum. Se-



cundum quem unicum sensum ait D. Augustinus, ea intelligi posse sacrarum literarum loca, ubi DEO ira attribuitur. (*Enchir. c. 33.*) *Ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius ira nomen accepit.* Et secundum quem tantummodo ostendit Doctor Angelicus, (*L. 1. c. Gent. c. 96.*) accipiendum esse odium peccantium à Davide in DEO agnitum, dum in Psalmo quinto canit: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*, quamvis juxta aliam significationem magis propriam audiamus in Sapientiæ libro dici: (*c. 11.*) *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Siquidem justis cruciatibus impios afficiens, ita cum iis agit exterius, ceu ab odio incitari nos solemus ad agendum cum hostibus, dicique propterea in aliquo latiori, improprio, & materiali sensu potest eos odisse: tametsi eos illis cruciatus infligens, haud ita animo interius sit compositus, prout sunt, qui vero odio incitantur, nimirum ex intimo illorum mali studio, sed ex mero amore justitiæ; secundum aliam magis ei accomodatam loquendi rationem, dicatur nullo odio illos prosequi.

4. Similis jam exposito illorum quoque error est, qui, prout à D. Bernardo observatur DEum sibi effingunt, tanquam naturâ immisericordem, summo jure cum humana fragilitate agentem, & quàm indulgentiæ, veniæque parcum, tam ad vindi-

can.



candum proclivem: (*Serm. 38. in Cant.*) *Gravem & severum imaginantur, qui pius est: durum & implacabilem, qui misericors est: ferum, & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo, quod non est ipse.* Quare & leges illius non secus intuentur, ac latas olim à Dracone Atheniensibus, quas Demades præ nimia severitate conscriptas fuisse ajebat, (*Apud Plut. in Solone*) *Non atramento, sed sanguine: & locò accessus ad eum cum hilaris fiducia sensu affatum, congressumque ipsius perhorrescunt, offerentes illi sua vota, quasi videantur elephanto stipem porrigere: (Suet. in Aug. & Macr. l. 4. Sat. c. 4.)* ceu Augustus Cæsar exprobravit non nemini, qui supplicem sibi libellum consternato vultu, & manu tremebunda exhibebat. Iniquissima, & nimium quantum à vero aberrans hæc item opinio est, quamque ideo refutatam videmus tum à Propheta Regio, ubi DEum appellat (*Pf. 82.*) *suavem & mitem, & multa misericordia;* tum ab ipsomet DEO, qui apud Jeremiam profitetur, non aliis erga genus humanum se affici, quam clementiæ, & mansuetudinis sensibus: (*c. 29.*) *Ego cogito super vos cogitationes pacis, & non afflictionis.* Imò refutatam, ut compendio dicam, ab omnibus ferè hagiographis libris, ubi nihil reperire est frequentius, quam divinæ bonitatis exempla, & præconia. Ideoque discipulorum ardorem objurgavit, ignem è coelo supra Samari-

ta-



tanos deposcentium, ceu qui sua parum instituta, & mores callerent. (*Luc. c. 9.*) *Nescitis, cujus spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ideò Ninivitarum quoque partes suscepit contra Jonæ severitatem, eos omnino puniri volentis, ac proinde indignantis, quòd esset (*Jon. c. 4.*) *DEus clemens, & misericors, patiens, & multa miserationis, & ignoscens super malitia.* Ideo demum Eliæ iracundo & ad rigorem proclivi non in turbine, aut tempestate, vel igne, sed in aura leni se exhibuit. (*1. 3. Reg. c. 19.*) *Spiritus grandis, & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis: secundum quæ verba septuaginta interpretes addunt: & ibi Dominus.* Severus & imisericors DEus? Impudentissimæ genus calumniæ, nec minùs à vero remotæ, quàm si ater candor, & tenebricosa lux diceretur: cum, teste Dionysio Areopagita, nihil aliud natura DEI sit, quàm *essentia bonitatis*, ipsamet nimirum pura, & absolutissima bonitas. (*de Div. Nom. c. 1.*)

5. Fateor quidem, sub præsentis vitæ occasum nullum ab eo ulteriori veniæ locum relinqui, quò minùs ream tunc lethalis culpæ animam justis maçtet suppliciis. Sed observetur, quæso, quàm toleranter quòd in terris homines vivunt, ferat, ac si non videret, tot, tàmque indigna eorum flagitia, *nolens ali-*



aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti. (2. Petr. c. 2.) Animadvertatur præterea, quàm, juxta Isaiam, (c. 55.) multus sit ad ignoscendum, condonans cuilibet ritè pœnitenti omne criminum genus, eúmque ibi protinus in priorem amici gradum restituens: neque id semel tantùm, bisve, aut decies, sed supra quam septuagies septies: quamvis videat, permultos incredibili hac clementia, & ignoscendi facilitate abuti ad liberiùs deinceps peccandum. Enim verò quisquis hæc omnia suis momentis perpendat, usque adeò existimare illum minimè poterit immisericordem, acturum, ut ægrè inventurus humanas rationes sit, quibus nimix placabilitatis notam ab illius gubernatione defendat: cogeturque admirabundus ipse quoque in ea verba prorumpere, quæ à nonnullis D. Augustino adscribuntur: (l. 1. de visit. infirm. inter opera S. Aug. t. 9.) *DEus meus, DEus meus audebo dicere, pace tua dicam, in quodam ecstasis tripudio de te præsumendo dicam. Nisi quia DEus es, injustus esses. Quia peccavimus graviter, inhæremus pertinaciter peccato, gaudemus de peccato, prædicamus peccatum, non abscondimus, & tu placatus es. Nos te provocamus ad iram, tu nos ad misericordiam.* Jam, si post hæc adeò mira tolerantix, ac lenitatis exempla obduratus aliquis in sua improbitate, mavult reus, & pœnitentiæ expers mori, quàm oblatam ab eo toties sibi veniam admittere; quemnam accusare nisi se ipsum

ipsum



ipsum potest, qui vel in vita, & ne quidquam retinente divina bonitate voluntarium in exitium se præcipitem miserit? Aut quodnam ulterioris clementiæ specimen desiderandum, poscendumque ibi à DEO superest? Totiusne ut æquitatis, justitiæque obliviscatur? Suasne omnes ut abroget leges? Ut demum etiam ejusmodi reos absolvens, plenam omnibus sinè ullo jam metu in quodvis scelus ruendi facultatem, ac licentiam permittat? Quodnam excogitari regimen posset, hõc inconsultius, & præposterum magis? Aut quotusquisque adeò impudens sit, qui tale illud à supremo mundi Gubernatore audeat exposcere.

6. Haud quaquam id ab eo poscimus, fortè hìc quisquam subjiciet. Vindicet sanè, quando ità manifestum jus exigit in contumaciores hujusmodi animas, At cur omnia ultioni tunc frena laxanda? Cur nullo etiam longissimo miseriarum cruciatu explenda est; sed æternæ ab iis temporariæ improbitatis pœnæ repetendæ? Hoc enim verò illud est, quod extremæ, horrendæque severitatis speciem præsefert, nec misericordis & mansueti judicis proprium videtur. Vanissima tamen hujusmodi oppositio est, quæque nil egeat à me hìc refelli, cum certum sit, neutiquam posse in casu, de quo agitur, pœnâ minùs quàm æternâ, seu divinæ justitiæ rationibus satisfieri, seu necessariis humanæ vitæ, ac felicitatis usibus con-



consuli. Non primum : quia , cùm sempiterni quoque temporis pœna satisfactio sit citra *condignum* , nec satis adæquans infinitam peccati , DEum graviter offendentis , malitiam ; quoniam pacto dignè huic responderet , si temporaria tantùm foret , hoc est undecunque finita ? Sed neque alterum : quia , cùm experientia palàm ostendat , ne ipsam quidem tartareorum cruciatuum æternitatem sufficere ad plerosque hominum à peccandi licentia absterrendos ; arguat hinc quilibet , quantò minorem eosdem in officio retinendi vim haberet pœna , cujus non aliter , ac purgatorii ignis certum aliquando sibi finem promitterent : necessarius proinde est similis rigor , horribilis quidem , sed communi bono apprimè conducens ; ad quem tandem depromendum majoris nostræ utilitatis causâ ab ipsamet sua bonitate DEus impellitur. Neque tamen idcirco spirituales viri eum pro DEO potius terribili , quàm amabili habent : eò quòd optimè nòrint , haud solere ipsum funesta hæc exempla edere , nisi in animas deploratæ salutis ; quòdque facillimam alioquin cuivis homini non omnino pessimo fecerit , suæ potius nativæ benignitatis , quàm necessariæ , & coactò quodammodo severitatis promerendæ rationem.

7 Subit jam refutandus aliorum error , qui , audientes prædicari summam animi puritatem , quam DEus à suis famulis exigit  
dicens



dicens illis ( *Levit. c. 11.* ) *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, neque aliud in se contra in-  
 tuentes, quàm imperfectionem, & pecca-  
 torum saltem venialium labes; imaginantur,  
 parùm illi gratos se esse, nec amico, & liben-  
 ti obtutu ab eo aspici. Unde ingens diffi-  
 dentia subsequitur, & timor, familiariter  
 ad eum accedendi, perinde quasi magis aba-  
 lienaturi eum à se sint, si animam tot macu-  
 lis, tàmque fœda illuvie obsitam purissi-  
 mis, & delicatissimis ipsius oculis ingerant.  
 Sed enimverò hallucinantur ii quoque,  
 DEUM sibi comminiscens tam facilem ad  
 indignandum de quotidianis erratis, & ad  
 averfandos, qui per naturæ suæ fragilita-  
 tem in ea prolabantur. Vulgatissima quippe  
 apud Theologos doctrina est, leviores cul-  
 pas, ceu nihil de gratia sanctificante decer-  
 punt, sic neque posse amicitiam cum DEO,  
 quæ merè in eadem gratia posita est, dimi-  
 nuere, ac proinde nihilominus amicum ani-  
 mæ DEum esse, minúsque eam amare,  
 post hujusmodi culpas, quàm amicus ei es-  
 set, eamque amaret, priùs quàm has illa  
 in sese admisisset: imò, si quispiam plures  
 alio veniales culpas patraverit, sed ampliori  
 simul gratia sanctificante decoretur, plus  
 eo altero charum, acceptúmque DEO esse.  
 Et confirmantur, quæ dixi: quia nimis  
 quàm dissentaneum à placidissimo, facilli-  
 móque DEI ingenio videtur, ob quamcun-  
 que levem causam succensere suis amicis,  
 &



& servis: spectata præsertim imbecillitate conditionis humanæ, cui impossibile factu esse perspicit, non interdum delinquere, & labi. Quamobrem ordinarii nostri lapsus commiserationis potiùs, quàm offensionis, iræque causas ei præbent, juxta illud Psalmi centesimi secundi: *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est, quia pulvis sumus.* Quòd si & inter homines vitio vertitur proclivitas ad exandescendum contra amicos, ubi quid per negligentiam deliquerint; quonam pacto eam comminisci in DEO possumus amico omnium lenissimo, miræque etiam in gravibus suis offensis tolerandis patientiæ? *DEus Juxta, justus, fortis, & patiens, nunquid irascitur per singulos dies?* (Ps. 7.) Haud igitur, qui non nisi venialium noxarum conscius sibi est, DEUM imaginari adversum se iratum debet, quo more irasci homines solent contra eos, à quibus dicto aliquo, factove læsi fuerint, averfando nempe illos, & minori, quàm priùs benevolentiam profequendo: sed persuadere sibi debet, illi, utpote primam totius recti normam non posse quidem non improbare, quidquid peccatum etiam leviter sit: neque, ut ipsammet perfectissimam æquitatem, nihil pro eo velle satisfactionis exigere: cæterum solidam interim, & quanta antè fuerat, remanere amicitiam, implendo id, quod in libris Regum promiserat, (1. 2. c. 7.) *Ego ero ei in Patrem, & ip-*



*se erit mihi in filium.* Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: misericordiam autem meam non auferam ab eo. Similiter, ac si Princeps aliquis centenùm aureorum mulctam statuisset certum quoddam teli genus ferenti, repertoque illo teli genere apud aulicum inter omnes alios sibi charissimum vellet hunc quoque, quanquam nihil contra eum offensionis sive animo fovens, seu vultu præferens, communem mulctam tuendæ legis causâ pendere. Qui aulicus post pœnam, quam videt, sinè ulla adversum se ira, sed ex mero æquitatis studio sibi irrogatam; pergeret ipse quoque pristinam retinere in agendo cum Principe familiaritatem, amorisque fiduciam.

8. Advertendum tamen hîc est, levia peccata, si ab homine sciente, & volente patrentur, eorùmque voluntas sinè ulla efficaci retractatione in animo perseveret; esto amicitiam nobiscum minuere in DEO nequeant; magnam nihilominus vim habere, ad nostri erga DEI amoris flagrantiam, suavitatem, & fiduciam minuendam, imò etiam penè omnino extinguendam; tum propter amaras conscientiaë objurgationes, quibus anima continenter castigari se audit, tum quia nequit interim actus exercere intimi erga DEum amoris proprios, contestando videlicet, nihil se ardentius optare, quàm ut illi in omnibus placeat, & perfecta  
con-



conjunctione adhæreat. Quamobrem sine  
 ulla dubitatione affirmaverim, ab hoc pec-  
 catorum venialium genere impediri plus pos-  
 se charitatis fervorem, & familiarem cum  
 DEO consuetudinem, quàm ab ipsis letha-  
 libus noxis, quas aliquis efficaci jam dolore,  
 & pœnitentia aboleverit. Cæterùm, si  
 de aliis loquamur levioribus culpis, quarum  
 hominem jam pœnituit; usque adeò illæ  
 nostri erga DEum amoris confidentiam, &  
 dulcedinem interturbare per se nequeunt;  
 ut hæc labefactari, minuique in nobis haud  
 debeat, neque propter gravissima, quæ  
 jam satis retractaverimus, prioris vitæ flagitia:  
 prout hîc ostendere aggrediar, contra vanas  
 præposteræ alterius circa DEum persuasionis  
 formidines.

9. Errant igitur ex falsa circa DEum per-  
 suasione illi quoque, qui, licet plenissimam  
 præteritorum criminum veniam in Sacra-  
 mento pœnitentiæ consecuti ab eo sint; mi-  
 nimè tamen audent familiariter, amicèque  
 cum eo conversari: timentes nimirum, ne  
 qua in eo post reconciliatam gratiam super-  
 sint prioris inimicitia vestigia, ceu plerum-  
 que evenire apud homines cernimus: qui,  
 si fortè alicui injurias acceptas remittant, so-  
 lent nihilominus, præsertim ubi hæ graves,  
 indignæque admodum fuerint, menti infi-  
 xam earum memoriam, unaque tacitam  
 quandam ab earundem authore alienatio-  
 nem animi retinere. Sed enim verò ad præ-



dictum timorem funditus ab animo eliminandum sat fuerit, quòd orthodoxæ ille fidei adversetur. Cùm hæc pro certissimo statuatur, hominem, qui ritè comparatus ad pœnitentiæ Sacramentum accesserit, non modò veterum offensarum omnium, quantumvis multæ, enormésque sint, benignissimam condonationem à DEO assequi. Sed in eundem, in quo priùs fuerat, imò etiam superiorem amicitia gradum restitui, tamque charum deinceps haberi, quàm si DEUS acceptas ab eo injurias æternæ oblivioni mandâisset. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor,* verba illius sunt apud Isaiam. (c. 43.) Quam in rem acutè observat operis imperfecti Author, ( *Hom. 43. in c. 23. Matth.* ) Christum Dominum, dum exprobraret Hierosolymæ suam adversus Prophetas, Deique nuntios crudelitatem, nequaquam dixisse: *Hierusalem, quæ occidisti, sed, quæ occidis Prophetas:* perinde quasi hac loquendi forma indicatum vellet, culparum, quæ in præsens haud permaneant, nullam se retinere memoriam, ne ad improperandas eas quidem, quibus propter pœnitentiam condonata jam fuerint: sed, veluti ad majorem ejusdem veritatis declarationem addit D. Augustinus: seu quicumque scripsit librum ( *de diligendo DEO* ) *Sic indulgere ex toto, & sic omnem donare injuriam; ut jam non damnet ulciscendo, nec confundat improperando nec minus dili-*



diligat imputando. Et poterit sanè quispiam prudenter metuere, ne ex aliquo legitimæ poenitentiae defectu suorum remissionem criminum non obtinuerit: sed hac posita dubitare, utrùm à DEO diligatur, quasi nunquam eas commisisset, est eidem dicenti non credere, quòd nostra crimina ita per veniam deleverit, ut solis radiis, aut ventorum flatu disjicitur nebula, nullo ejus vestigio superstite: (*Isai. c. 44.*) *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Quia secundùm Joannis Tauleri memorabile effatum, (*apud Blos. in cons. Puf.*) *DEus, praesentia DEus est. Qualem unumquemque reperit, talem eum suscipit, & assumit: nec respicit, quid olim fuerit, sed quid modò sit: ideòque converso peccatori familiaritatem omnem, & secretorum suorum revelationem, quam alicui impendit; exhibere iam potest.* Unde concludi ad extremum potest, peccata per poenitentiam abolita, nullam vim habere, impediendi suavem nostri erga DEum amoris fiduciam: imò potiùs valere, ad eam magis magisque intendendam: majoris benignitatis causa, quam per eorum occasionem DEus nobis exhibuit, planè adeò integrèque in pristinam nos amicorum, & filiorum dignitatem restituens.

10. Quisque ergo DEum concipere afuescat, non secundùm nostræ naturæ imperfectiones, & præposterarum vulgi opiniones, sed potiùs qualem aut fides, aut ipsa



naturalis ratio eum repræsentat: nempe cen-  
Dominum nostri amantissimum, & nostra  
secum familiari consuetudine imprimis gau-  
dentem nulli iracundiæ, & furori, quan-  
tumcunque ab humana improbitate irritetur,  
obnoxium: ab omni contra impios, etiam  
quando justas iis pœnas decernit, affectione  
odii vacuum: mirè quarumvis injuriarum  
tolerantem, nec minùs ad easdam ignoscen-  
das proclivem: mitissimum in quotidianis  
famulorum suorum erratis sinè ulla vel mi-  
nima diminutione amicitia ferendis: pec-  
cantium, quos post innumeras offensas in  
suam gratiam receperit, nihilo amicum, &  
amantem minùs, quàm si omnis omnino  
præteritæ eorum improbitatis memoria ipsi  
excidisset: quisquis, inquam, talem DEI  
speciem sua in mente formaverit, hâsque  
illius tam amabiles prærogativas secum re-  
cogitare identidem perrexerit, næ is ani-  
mum facilè inducet ad hilariter, fidentèr-  
que cum eo agendum, tanquam cum sua-  
vissimo Domino, cum fidissimo amico, cum  
amantissimo Patre: in quavis rerum, tem-  
porùmque difficultate ad ipsum recurrens,  
de suis omnibus votis, curis, successibus  
cum eo tractans, & eam demum in quavis  
ipsum alloquendi occasione familiaritatem  
usurpans, quæ intimi, & reciproci amoris  
est propria: cum reverentia quidem, sed  
quæ nihil servilis metûs, & perturbationis  
admistum habeat, cùmque humilitate, sed  
gene-



generosa, ad quam confidentia, atque hilitas erigat.

## CAPUT III.

*Quòd nemini certò constet, se DEI gratiâ in præsens potiri, non satis causa esse, ad nos revocandos à familiari, & jucunda illius consuetudine.*

Quemadmodum, teste D. Joanne, proprium charitatis est, animos expedire à timoris angustiis, (*Ep. 1. c. 4.*) *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*; sic è contrario usitatum, & solenne timori est, perturbare charitatis dulcedinem; triplex autem videtur esse posse in servorum DEI animis hujusmodi timor: timor nimirum, ne divinâ gratiâ in præsens careant: ne ab illa aliquando excidant: ne sine illa supremum diem obeant. Et sanè dubitari minimè potest, quin ab unoquoque ex commemoratis timoribus nostri erga DEum amoris confidentia, & suavitas perturbetur. Perturbatur à primo: cum enim amicitia nihil aliud per Aristotelem sit, nisi (*1. 8. Eth. c. 2.*) *Amor mutuus non latens*; quoniam pacto jucundè, fidentèrque acquiescere in DEI amicitia ego possim, cujus amor me latet; vereârque, ne odio potiùs illi sim, quàm amori? Perturbatur à



secundo : inhærens quippe animo boni cuiusvis amittendi timor minùs jucundam illius possessionem facit : quantòque bonum est charius, tantò ejus jacturæ formido plùs cruciat. Perturbatur denique à tertio, quia migrare ad æternitatem inimicum DEI, talèque permanens necessariò, quamdiu illa duraverit, malum est tam ferale, omnèque alium cruciatum exuperans, ut & tenuis ejus suspicio amarissimo felle confundere cujuslibet gaudii dulcedinem queat. Ex altera verò parte fat videtur causarum suppetere, cur prædicti timores ab unoquoque hominum concipi debeant. Primus, quia ob exiguam interioris nostri statùs notitiam nemini certò constat, seu plenam præteritorum scelerum remissionem efficaci pœnitentia à se impetratam ; seu nullum deinceps novum crimen admissum. Unde illa est Salomonis sententia, (*Eccl. c. 9.*) *Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit ; & illud Ecclesiastici monitum, (c. 5.) De propitiato peccato noli esse sine metu.* Secundus, propter notam plùs nimìò humanæ naturæ pronitatem ad malum, & tristia multorum exempla, quos post vitam diu persanctè productam, in foedissima novimus corruisse flagitia. Tertius demum, ob impenetrabilem nostris mentibus divinorum judiciorum altitudinem, & quòd nulli mortalium secundùm communem providentiam liquere DEUS voluit, utram ipse ad classem, electorumne



rúmne, an reprobatorum pertineat? Accedit huc præterea, quòd nonnulli asceticæ vitæ magistri id genus timores, quasi ad solidiorem animæ humilitatem, interiorémque sui custodiam perutiles, non parùm commendant, altiùsque defigere in animis hominum student, tragica oratione exaggerando humanæ conditionis fragilitatem, difficultates assequendæ salutis, exiguumque illorum numerum, qui eam assequuntur. Unde fit, ut permulti vel eorum rationibus moti, veritique, ne nimix laxitatis, & præfidentix sit diversa sentire, continuos inter animi angores vitam traducant; vel saltem ambigui, incertique hærent neque existimantes una ex parte idoneam sibi causam adesse, ita sese discrucianti; neque ex altera audentes, strictioribus id genus doctrinis libero spiritu obsistere.

2. Ast ego commiserans tum hæc eorum angustias, tum impedimenta, quæ inde illis proveniunt, ne confidenter & amicorum ritu cum DEO agant; demonstrare statui, suprâ dictos tres timores reprimendos potiùs, quàm fovendos suo in animo esse ab hominibus, qui ex professo Christianæ perfectioni, & divinæ charitati operam navant, idque duplici ex causa: prima, quia hujusmodi homines nihil habent, cur eorum ullo perturbari meritò debeant: altera: quia ex eorum quolibet plus possunt incommodi, quàm utilitatis percipere. Qua-



rum causarum vim circa primum de divina fors præfenti inimicitia timorem hîc continuò expendam, idem circa reliquos duos in fequenti capite acturus.

3. Utque ab earum altera initium defumam; quæro ex iis, qui volunt DEI servos metuere, ne fors in præfens gratiâ, amicitiaque illius careant; quidnam spiritualis emolumenti ejusmodi trepidatio allatura illis fit? Dicent, nî fallor, humiliores eos reddituram, & follicitos magis. Humiliores quidem, quatenus prohibebit, ne inaniter glorientur, & contenti ftatu fuo fint; magis verò follicitos, quia fodiendis inftar ftimuli eos affiduè incitabit, ut novis pœnitentiæ actibus curent fuam cum DEO amicitiam certiore reddere. Ità profectò complures sentiunt, atque hinc caufas ducunt prædictæ anxietatis laudandæ, & fuadendæ; fuam in fu per confirmantes fententiam ambiguitate, in qua nos DEUS circa cœleftis hujus boni poffeffionem reliquit: utilius nempe nobis exiftimans, (ceu in dè ab ipsis colligitur) fi, quantum ad illam, femper incerti, & pavidî effemus. Sed pace illorum dictum fit, in prima ex prædictis utilitatibus afferenda videntur, Christianam humilitatem cum propriæ fortis difplicentia, faftumque, & arrogantiam cum læta ejusdem approbatione confundere: parùm advertentes, nullum inter ifta duo neceffarium, & naturalem nexum, quin latum potius



potiùs discrimen intercedere. Fastus quippe, & animi tumor, si sacris Doctoribus credimus, non in eo positus est, quòd aliquis divina in se munera advertat, deque iis sibi gratuletur; sed potiùs, quòd ejusmodi bona propriæ virtuti attribuat, seque ob ea magni æstimet, & aliis anteponat. Ità planè docet D. Thomas, nullius culpæ affinem pronuntians, qui bona sua agnoscat, & magni pendat: ( 2. 2. quæst. 132. a. 1. ) *Quòd aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum*: confirmansque suum dictum iis Apostoli verbis: ( 1. ad 1. cor. 2. ) *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis.* Ità D. Augustinus virtutem potiùs, quàm vitium censet, prædicationem collatorum sibi à DEO munerum. ( *Serm. 28. de verb. Ap.* ) *Non est arrogantia, sed fides, prædicare, quod accepisti: non superbia, sed devotio.* Ita D. Bernardus observans, non reprehendi ab Apostolo, qui gloriatur, & gaudet, sed qui gloriatur quasi de re penitens sua, & quam nemini alteri debeat. ( *de dilig. DEO* ) *Non ait simpliciter, quid gloriaris? sed quid gloriaris, quasi non acceperis? Ut asserat, reprehensibilem, non qui in habitis, sed qui tanquam in non acceptis gloriatur.* Ubi etiam subdit, divinorum in se donorum cognitionem usque adeò culpandam non esse, ut sit veriùs necessaria, & laudabilis. *Utrumque ergo scias, necesse est, & quid sis, & quòd à te ipso non sis, ne aut omni-*

no



uo non gloriaris, aut inaniter gloriaris. Ità postremò D. Tereſia, quæ adhortans animam peculiari aliquo DEI beneficio inter orandum decoratam, ad debitas ipſi grates reddendas. (*in vita c. 10.*) Ne, inquit, penſi habeat quadam humilitatis genera, de quibus cogito agere inferiùs: qualis nonnullorum iudicio eſt cogitationem avertere à donis, quibus DEUS nos interdum dignatur. Intelligamus, quod res eſt, huiusmodi munera ſinè ullo priori noſtro merito à divina liberalitate nobis conferri, gratique ideò illi ſimus. Niſi enim nota ſint nobis beneficia, qua accepimus; neutiquam excitabimur ad eum amandum, à quo illa accepimus. Certè tunc amare impenſiùs quempiam ſolemus, cum præſentioſiorem habemus illius erga nos beneficentiæ memoriã. Si ergo licet mihi, imò & in meriti loco apud DEUM eſt, recordari, quòd ipſe me in lucem produxerit, & ſui ſanguinis pretio redemerit; quidni animadvertere pariter liceat, quòd, cum olim de terrenis, profanisque rebus conſabulari ſolerem; nulla mihi illius ope jam ſint, niſi de illo colloquia? Enim verò, quæ hominum naturalis conditio eſt, impoſſibile mihi factu videtur, ut magna pro DEO audeat, qui peculiariter ſe ab eo diligi neſciat. Aded quippe proclivi ad terrena, & caduca ingenio ſumus; ut agrè à quibuslibet præſentis vitæ bonis alienum gerere animum poſſit, qui minimè agnoſcat aliquod futurorum pignus ſe habere. Hactenus conſultiſſima illa rerum ſpiritualium magiſtra, addens inferiùs, dæmonem ſuo iudicio multùm laborare, ut animas orationi, vitæque inte-



interiori deditas ab ampliori in ea faciendo progressu, falsis quibusdam de humilitate opinionibus retineat. His igitur positis, fac, aliquis persuasissimum habeat, DEO charum in præsens se esse, neque ullis, quantum ad hoc, sollicitetur inquietis timoribus, sed lætus, & gestiens, tanquam de singulari beneficio divinæ bonitatis grates persolvat, ubinam hinc ulla species, ullumve vestigium superbiæ? Aut quidnam aliud contrariæ suspiciones, anxietatésque facerent, nisi quòd perturbarent hominis animum; nisi quòd minùs jucundum ei redderent orationis, & consuetudinis cum DEO usum: nisi quòd in eo spiritualium lætitiarum, & fervorem charitatis minuerent?

4 At ( ab adversariis responderi audio ) si quis miserum se existimaret, minùsque interiori statu suo contentus foret, is sanè humilior animo foret. Atqui ità respondere nihil profectò est aliud, quàm in observatam paulò antè vocum, & sensuum confusionem revolvì: pro eadem re accipiendò parùm quempiam interiori suo statu contentum vivere, & animo humilem esse. Quòd si admitteretur pro vero, næ parùm humilis sanctissima DEI parens fuisset, cùm *exultavit spiritus ejus in DEO salutari suo: quia fecerat sibi magna, qui potens est, adeò ut propterea beatam dicturam illam essent omnes generationes.* Nec non universi item cœlites existimari parùm humiles possent, utpote qui & suam



suam certò agnoscunt, absolutissimam felicitatem, & plenissimo in eo gaudio acquiescunt. Contrà verò nemo humilior damnatis ad inferos foret: cùm nemo in terris æquè ac illi se miserum fateatur, & omni prorsus bono carentem. Non igitur Christianæ humilitatis perfectio in prædicta sui statûs displicentia consistit; sed in eo veriùs, ut ea homo suspiciens, quæ à se ipso habet, proprièque sua sunt, abjectissimum sese, ac miserrimum, & omnis funditus boni vacuum existimet: quamvis alioqui multa in se agnoscat collata sibi à DEO munera, quæ summo in pretio, próque eximia felicitate sua habeat, & quorum causà peramantes supremo largitori gratias perpendat. Nempe hæc illa est gloriatio, & exultatio in DEO, commendata à D. Paulo, ubi scripsit, (2. ad Cor. 10.) *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Qui proinde, etiam ubi magnificentissimè de se loquitur, dicens: (ibid. 12.) *Nihil minùs fui ab his, qui sunt supra modum Apostoli; nihili tamen sibi nomen, ac locum usurpat, protinus subdens, tametsi nihil sum: & alibi adhuc fusiùs eandem tum divinorum in se munerum præclaram æstimationem, tum omnimodum sui contemptum declarat his verbis: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Gratiã autem DEI sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis*



illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia DEI mecum. ( 1. ad Cor. 15. )

5. Haud tamen acquiescunt timoris patroni, reponentes, posse quidem fieri, ut quispiam supernaturalia sua bona, & animadvertat, & plurimi faciat, nihil inde ad vanam sui æstimationem inflatus. Sed sapientiam ejusmodi non nisi paucorum decus esse, qui in Christiana humilitate, & demissione animi profundas radices jam egerint, neque idcirco ab iis quoque præsumendam, quorum virtus nondum ad æqualem firmitudinem, soliditatémque adolevit. Durum sanè hominum genus, qui spiritualem lætitiã, pacémque animi à potiori famulorum DEI parte, nempe ab iis omnibus, qui ad eximiam, perfectámque virtutem nondum pervenère, proscribendam existimant. At benè, quòd præstantissimus Evangelicæ sapientiæ Magister Paulus Apostolus alios longè sensus, aliásque institutiones è tertio cœlo detulit. Nisi fortè sinè ulla probabilitatis specie fingamus, omnes universos vilipensis Ecclesiæ Neophytos in ipsismet suæ fidei primordiis perfectos fuisse, adeò ut tutò inculcare illis posset; ( c. 3. ) *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete: perfectosque item omnes, qui ad Christum nuper conversi Thessalonicæ erant, ut iis similiter commendandum putaret, ( I. c. 5. ) Semper gaudete: in omnibus gratias agite. Nam quæ, rogo: perpetuæ illius in Domino lætitiæ,*



titia, & gratiarum actionis causa utrisque esse poterat, nisi, quod persuasum haberent, assidueque recogitarent, DEO charos, atque amicos se esse? Moneant ergo, si libet, cauti isti animarum institutores, tantum illum fidei præconem, ne adhuc crudam, & teneram recentium Christianorum sobolem tam impensè, fidentèrque ad exultandum, & quidem perpetuò de supernaturali sua felicitate exhortetur. Timeri siquidem haud immeritò posse, ne eorum non nulli occasionem inanis gloriolæ, arrogantiaque sumant. Novi id, novi fati, respondebit eorum monitioni Sapientissimus gentium Doctor. Sed discrimen huiusmodi non adeò vitatu difficile cuilibet, vel mediocris prudentiæ, ac virtutis homini est; ut declinandi illius causâ necesse sit, aut expediat, perpetuis conscientiaë angoribus sese ultrò discruciare, qui animi vigorem debilitant, proficiendi alacritatem extinguant, amicam cum DEO conjunctionem impediunt, nec aliam demum humilitatem producant, nisi servilem, tetricam, inquietam, miseraëque fontium in tartaro animarum humilitati consimilem. Certè si nihil aliud in spirituali vita curandum magis esset, quàm omnes vel remotas superbiæ occasiones defugere, ac proinde expedire cuivis, pessimè semper de se ipso opinari; nimirum quàm inconsultè conarentur animarum rectores eas vanis, ceu persæpe contingit, admissorum  
cri-



criminum dubiis, & suspicionibus exagitata, in tranquillum redigere: cum potius cohortari easdem deberent, ad suos illos scrupulos, pavorésque, ceu præsentissima superbiæ amuleta intra conscientiam fovendos: & curandum, quò ad fieri potest, ut in quovis vitæ actu sibi videantur DEUM graviter offendisse, illiúsque ideò gratiâ carere. Confectarium procul dubio absurdissimum, quòdque nequeat, nisi ex absurdiori principio, deduci.

6. Perspicuè igitur demonstratum videtur, anxios id genus timores de præsentia intra conscientiam capitalis culpæ reatu, ad hominem insolita humilitate custodiendum necessarios non esse. Videamus porrò, num saltem ei utiles sint ad DEI amicitiam recuperandam, ubi fortè illam occulti alicujus criminis causâ amisisset. Et quidem, si de profanis, ac solutioris vitæ hominibus sermo esset, haud gravatè id faterer. Cùm enim, qui ejusmodi sunt, obstrictam non rarò gravi scelere conscientiam vel ignorantes habeant; à concepto tam periculosi sui statûs timore stimulari possunt, ad ejus remedium in pœnitentiæ Sacramento quærendum. At, cùm nostra hæc omnis tractatio ad homines dirigatur, spiritali vitæ jam diu addictos, qui & suæ ad DEUM conversionis initio accurata præteritorum quorumvis criminum exhomologesi conscientiam ritè expiârunt; eandemque in subsecutis deinceps

N

ceps



ceps confessionibus, quodocunque usus affe  
 ferret, sedulo repurgare institerunt, neque Nu  
 jam dudum lethale ullum crimen admife- ext  
 runt, imò illud, quasi extremum malorum det  
 gravissimè perhorrescunt, quòque maximo nor  
 possunt, studiò devitant: nitentes præterea rati  
 ulteriores semper, ulteriorésque facere in cor  
 conjunctione cum DEO, atque animi pu- les  
 ritate progressus; ad quas demum novas, mu  
 & solertiores divinæ redintegrandæ amici- fin  
 tiæ curas ab illius amissæ dubio, atque me- rur  
 tu incitari illos posse dicemus? Num ad pri  
 conscientiam semper subtiliùs examinandam, Ma  
 & ad repetenda, quoties Sacramentum rita  
 pœnitentiæ instaurant, quasi minùs disertè na  
 explicata, præteritarum confessionum delicta: de  
 sine ullo fine, atque modo novas assiduè com- tia  
 miniscendi criminum circumstantias, deque rit  
 exactioribus aliis antea totius vitæ con- qu  
 fessionibus cogitandi? At si id facere insti- bil  
 tuant, prudens quilibet pœnitentiæ Sacra- fer  
 menti administer superstitosæ illos diligen- tia  
 tiæ coarguet: jubebitque supervacuum m  
 ejusmodi inanium animadversionum, & solli- tu  
 citudinum turbam missam penitùs facere: qu  
 neque de culpis, quas semel, iterùmque tis  
 ad Sacerdotis aures detulerunt, anxios ul- h  
 trà esse, sed eas pro legitimè jam enuntia- v  
 tis, & remissis habere: contemptim explo- ci  
 dendo, quasi larvas sine corpore, quidquid tu  
 temerè conceptarum suspitionum menti oc- c  
 currerit. At quas igitur alias divinæ gratiæ r  
 affe-



offerendæ artes ab eo timore impellentur? Num ad sua crimina, quàm celerrimè etiam extra Sacramentum, ex DEI offensi amore detestanda: quo eorum scilicet veniam, si nondum fortè affecuti essent, hac certius ratione assequantur? Sed enim, qui divinæ consuetudini, & charitati sedulò vacat, quales animæ sunt (quibuscum hoc in libro agimus) neutiquam indiget à prædicto timore stimulari ad suorum detestationem facinororum. Nempe hic, ceu in peculiari, proprioque capite infrà explicabimus, etsi instar Mariæ Magdalænæ certissimè sciret, præteritas omnes culpas sibi esse à DEO condonatas; pergeret tamen nihilofeciùs, ac pridem eas detestari, non quidem divinæ gratiæ certius obtinendæ causâ, sed puræ charitatis vi impulsus: nimirum ex dolore, quòd iis perpetrandis DEUM infinitè amabilem, sibique super omnia adamatum offenderit. Qua ratione concepti pœnitentiæ actus perfectiores solent esse, & tantò minùs suum bonum respiciunt, tantò certius consequuntur. Quocirca ex quacunque demum parte rem intueamur, præsentis divinæ inimicitiae timor nihil utilitatis huiusmodi animabus parit: neque ullam vim ferè habet, nisi eas inquietandi, efficiendique, ut in supervacuis circa suum statum præteritum curis cogitationes suas occupent, quas multò fructuosius in acquirendæ ulterioris perfectionis studio occu-



parent. Effectus, quàm ipsis noxios, tam malignis hostis tartarei votis consentaneos: qui, teste D. Teresia (*cast. inter. c. 10. mans. 6.*) pro ingenti lucro suo habet, si animas videat interioribus molestiis perturbatas, & quietis expertes ratione impedimenti, quod ejusmodi perturbationes illis afferunt, ne DEO amando, & laudando totas se impendant.

7. Sed quid argumento respondebimus, quod adversarii ad prædictas utilitates confirmandas ex omnimoda obscuritate, atque ignorantia desumunt, in qua nos DEUS circa nostram secum amicitiam vel inimicitiam reliquit: non alia profectò, ut legitime colligi putant de causa; nisi quia utilius nobis censuerit, si, quantum ad hoc, usquequaque incerti, dubiique, & metuentes essemus? Tria sunt, quæ opponere illi possim responsa, & unumquodque ad ipsius refutationem per se satis idoneum. Nego itaque primitus: DEUM voluisse, ut de præsentis sua amicitia penitus nescii, incertique ageremus. Esto quippe metaphysica, & omnimoda nostræ hujus sortis certitudine careamus; possumus tamen, uti paulò inferiùs monstrabo, moralem de illa certitudinem consequi: notitiam nimirum, & persuasionem firmis adeò rationibus nixam, ut nullum anxiiis, & meticulosis de opposito dubitationibus locum relinquat. Quorum abigendarum cum facultatem DEUS  
no-



nobis providerit, quonam pacto ritè argui potest, voluisse, ut ad majorem nostram utilitatem perpetuò in nobis hæerent? Præterea, undenam compertum adversarii habent, veram, germanámque rationem, cur DEus absque summa hujus rei certitudine nos reliquit, fuisse, quia ejus privatio merè per se ipsam spectata nobis foret utilior? Ego sanè id inficiari nil dubito: cùm observato solenni ipsius ritu ducendi nos, quamdiu in terris agimus, per obscurum fidei tramitem, aliam posse mihi videar magis propriam, prædicti effectus causam afferre: nempe quòd noluerit, manifesta assiduè miracula edere, revelando unicuique mortalium supernaturalem suæ animæ statum: quod faciendum necessariò erat, ut certissimam, & omnino indubitatam quisque haberet de sua cum illo amicitia scientiam. Qua eadem de causa neque sensibile cum animabus vitæ functis commercium, rerúmque divinarum visiones, & alia id genus ostenta quotidianam rem esse, ac promiscuam omnibus voluit: quamvis dubitari nequeat, quin permultis magno hæc adjumento, sive ad emergendum è vitiis, sive ad ampliorem in vita spirituali profectum fuissent. Cæterùm, fac, homines universos quàm certissimè exploratum habere, quòd amici DEI sint. Quidnam, rogo, detrimenti hinc perciperent sive ii, qui tales essent,



sive alii, qui minimè essent? Nihil profectò secundi: talis enim scientia acres potius illis stimulos adderet, ad quærendum sollicitè bonum, quò carent; sed neque priores, utpote qui majori propterea cum alacritate ad DEI famulatum incumberent, & locò supervacuæ anxietatis circa præsentem suum statum curas omnes converterent ad eum, qualem esse tunc lætum, atque optabilem vident, in reliquam porrò ætatem servandum. Certè sancti illi viri, quos per disertam revelationem de præsentem secum amicitia certiores DEUS fecit, usque adeò supernaturalem id genus notitiam spirituali suo profectui minùs utilem arbitrati non sunt, ut pro ea, tanquam pro singulari beneficio amantissimas divinæ bonitati grates rependerent. Adde (sítque hæc tertia responsio) quòd pleraque etiam Christianæ Religionis mysteria, ad majus fidei meritum obscurissima DEUS esse humanis mentibus voluit; nec tamen, quasi utilitatis suæ improvidos damnat, qui sedulo humanæ ratiocinationis nisu, atque studio, quantam possunt plurimam iis affundere claritatem conantur. Ergo, etsi utilius nobis foret, metaphysica, & summa certitudine, utrùm DEI amici simus, nescire; non tamen hinc sequeretur, quin summa adhuc quæri utiliter, & laudabiliter possit, quam habere in præsentem vita fas est, circa id certitudo: cujusmodi est, quam moralem appellant, non



non omnino infallibilis illa quidem, sed tamen sufficiens ad hominis animum extra inquietas, & meticulosas dubitationes ponendum.

8. Et hæc dicta sint ad probandum, debere eos, qui intimæ cum DEO conjunctioni student, abigere potius, quàm fovere inquietas suspiciones, & formidines, ne exosifilli sint, tanquam affectus detrimenti amplius, quàm utilitatis sibi allaturos. Superest jam, ut probem, debere idem ab iis fieri, ob alteram quoque duarum rationum, quas initio attuli, quia nimirum plus causæ habent, cur ejusmodi metus in se temerarios, & futiles, quàm cur justos, & probabiles credant. Neque huic rationi adversantur, quæ objecta sunt superiùs è sacris literis loca. Nam incipiendo ab illo Ecclesiastici monito: *de propitiato peccato noli esse sine metu*; particula *de* non videtur habere ibi vim præpositionis *circa*, ita ut sensus sit, ne timoris expers sis circa peccatum, quamvis cæteroqui jam remissum: sed æquivalere potius præpositioni *propter*, quasi dicatur: non quia peccatum tibi remissum jam est, securo esse animo debes, sed cavere, ne iterum pecces. Talis, inquam, magis propria esse illius moniti significatio videtur: tum quia, si peccatum jam remissum esse constat, nulla superest ratio, imò neque vis, & facultas metuendi, ne remissum non fuerit; tum ratione verborum



protinus subsequendum; *Neque adjicias peccatum super peccatum; & ne dicas: misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*: sive, ut in textu Græco legitur: *de propitiatione ne sis sine metu, ut adjicias peccata peccatis*. Quæ verba sat aperte indicant, moneri ibi hominem, qui peccavit, ne, quia condonatum sibi à DEO est præteritum crimen, pergat sine ullo metu alia committere, tanquam certus de impetranda illis quoque à DEO venia. Si quis tamen adhuc contendat, prædictum locum ita esse accipiendum, ut timor, & sollicitudo ibi commendetur circa ipsum crimen jam remissum; neque hoc admissio sequeretur, objectum, & materiam timoris debere esse, quòd incerta, & ambigua ipsius sit remissio. Cùm, quamvis certissima hæc sit, sat idoneam tamen causam timendi suppeditent pravi effectus peccati, etiam post ejus condonationem remanere in animo soliti: veluti pœnæ luendæ reatus, vitiosique habitus peccando contracti, & ad nova peccata impellentes: de quibus propterea, quàm penitissimè fieri potest, abolendis sollicitos, inque metum esse nos convenit. Quod verò ad eam Salomonis sententiam spectat: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*, etsi accipienda non esset de æterna prædestinatione, vel reprobatione hominis, prout à D. Bernardo (*Serm. 1. de Septuag.*) accipitur, sed de præsentibus  
ejus.



eiusdem amicitia, vel inimicitia cum DEO, possum tamen cum pluribus, & gravissimis peccatoribus dicere, solam ab ea denegari homini prorsus certam, & infallibilem de sua cum DEO amicitia scientiam: non verò persuasionem quoque animi, practicè, & moraliter certam: qua homo nimirum tranquillè, fidentèrque DEI amicum se credit; ut, quamvis contrarii possibilitatem inficiari nequeat; de ea tamen ferè nil cogitet, nec magis perturbetur, quàm si esse nullam putaret.

9. Et verò haud difficile factu esse, ut sedulus quilibet vitæ interioris Professor persuasionem ità practicè, & moraliter certam de sua cum DEO amica conjunctione habeat; vel solis sat posset sanctorum Patrum testimoniis probari. Audiatur D. Basiliius: *Quomodo (inquit ille) certò persuasus esse aliquis potest, quòd DEus ei peccata dimiserit?* respondètque, securum de hoc esse posse: *Si affectionem in se anima senserit, similem illius, qui dicebat: iniquitatem odio habui, & abominatus sum. (in Reg. brev. inter. 12.)* Audiatur D. Joannes Chrysostronus, qui, recitato illo Apostoli dicto: *ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii DEI:* hanc inde conclusionem eruit: *Quando verò spiritus testatur, quænam relinquitur ambiguitas?* (*Hom. 14. in Ep. ad Rom.*) Audiatur D. Augustinus super Psalmum 84. ubi exhortatur veros fideles, ut fidenti animo compotes



gratiæ sanctificantis se existiment: *Dicat unusquisque fidelium, sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati.* Audiatur D. Leo Magnus, qui dubitare nos vetat, num DEum in anima habeamus præsentem, quodcumque aliquod ex propriis illius effectis, ac vestigiis in ea deprehenderimus. *Discutiant se fidelium mentes, & intimos cordis sui affectus vera examinatione dijudicent: ut, si depositum aliquid in conscientis suis de fructibus charitatis invenerint, DEum ibi inesse non dubitent.* (Serm. 2. de fest. Pasch.) Audiatur demum D. Bonaventura, qui secundum nostram distinctionem pronuntiat: *dicendum, quòd quamvis de meritis non habeatur certitudo per scientiam necessariam; haberi tamen potest certitudo per probabilem conjecturam, & per quamdam ipsius bonæ voluntatis confidentiam, qua consurgit ex conscientia.* Puritas enim conscientia, qua introducitur per expulsionem culpa, dat ipsi animæ quamdam securitatem, & certitudinem de merito jam inchoato, & per consequens certitudinem de præmio consequendo (in 3. dist. 26. a. 1. quest. 5. ad 1.

10. Sed & ad manum est ratio, quæ idem planum faciat, dummodo causæ advertantur, unde posset contingere, ut quispiam nesciens cæteroqui divinâ gratiâ careret, quæque ideò omnium in præsentia materia dubitationum, timorúmque fons sunt. Hæ verò, ut quilibet videt, dux esse possunt: vel scilicet, quòd aliquis af-  
se-  
ali-  
la-  
oc-  
tu-  
ex-  
m-  
ft-  
p-  
n-  
n-  
c-  
l-  
t-  
t-  
c-  
l-

secu-



secutus veniam culparum non sit, quas  
alioqui se novit patrâsse; vel quia, esto il-  
larum venia donatus, aliam quamquam sibi  
occultam patraverit. Neuter horum even-  
tuum impossibilis est: non prior; quamvis  
enim confessio ritè instituta nullis non cri-  
minibus abolendis par sit; unde tamen con-  
stare nobis potest in confessionibus, quas  
peregimus, nihil ad legitimum valorem  
necessarii defuisse: seu vitio ministri pœ-  
nitentiæ, qui haud potuerit, volueritve  
nos absolvere, seu nostro, qui admissas ei  
culpas, nec omnes, nec debito cum do-  
lore exposuerimus? Sed neque posterior:  
cùm nulli hominum certò, atque eviden-  
ter noti esse possint singuli quique interio-  
res sui actus. Quod & propria cuique ex-  
perientia demonstrat; & unanimi confirma-  
tur testificatione tum Apostoli, de se ipso  
scribentis: *Nihil mihi conscius sum, sed non in  
hoc justificatus sum.* (1. ad Cor. 4.) tum Regii  
Prophetæ, qui perturbatus, pavènsque ad  
Deum clamat, (*Ps. 18.*) *delicta quis intel-  
ligit? Ab occultis meis munda me;* tum D. Au-  
gustini, ubi posse aliquid criminis in angu-  
lo quopiam nostræ conscientiæ latere, ait,  
quod nobis incognitum acutior DEI visus  
perspiciat. (*Serm. 23. de verb. Dom.*) *tu non  
vides peccatum: fortè DEUS videt, qui meliùs vi-  
det.* Si ergo hìc ostendam, prædictorum  
eventuum possibilitatem non ultrà valere,  
quàm ut absolutam; & omnimodam divi-  
næ

næ



næ gratiæ certitudinem sanctiorem vitam professis tollat ; an non simul ostendero , posse hos nihilominus practicam , moralemque obtinere de sua cum DEO amicitia certitudinem : certitudinem scilicet , quæ illos trepidis de sorte contraria dubitationibus inquietari non sinat ? Ita planè , ut nemo non videt. Age igitur , propositæ rei demonstrationem à primo capite exorssi aggrediamur.

11. Incertus sum , dicit quispiam , num Sacramenti pœnitentiæ administer , qui peccata confitentem me audiit , seu legitimè initiatus Sacerdotio fuerit ; seu voluntatem me ab iis absolvendi habuerit ? Neque insuper mihi constat , utrùm plenè , integrèque , & cum eo , quo par erat , supernaturalis doloris sensu mea illi delicta aperuerim ? Priusquam objectioni planius respondeam ; statuo , ceu doctrinam apud omnes certissimam , licèt unam fors aliquis , pluresque confessiones ex quocunque defectu irritas , imò etiam sacrilegas pridem obierit ; si tamen deinde ad pœnitentiæ tribunal , & legitimum ejus ministrum ritè præparatus , cùmque universali suorum omnium criminum detestatione accedat ; esto irritarum ejusmodi confessionum delicta citra suam culpam ignorans , vel oblitus , tunc repetere omittat ; nihilominus ab iis quoque , tanquam in generali suo dolore comprehensis per Sacerdotalem sententiam ab-



absolvi: plenamque antea actæ totius pravitatis suæ remissionem obtinere, & in pristinam cum DEO gratiam restitui. Hoc itaque extra controversiam posito, circa dubitandi occasionem è ministro Sacramenti petitam, respondet Franciscus Suarius, ubi quis apud alios, atque alios Sacerdotes confessus malefacta sua est, deque nullo eorum justam timoris causam habet, ne legitima se absolvendi potestate, aut voluntate caruerit; certum esse moraliter posse, quòd saltem ab aliquo ex iis valida, & efficax sibi fuerit impertita absolutio. *Tunc enim, licet generatim loquendo, in uno vel altero possit defectus, seu deceptio timeri; tamen moraliter videtur impossibile, quòd inter tot ministros nullus fuerit & verus Sacerdos, & fidelis in ministrando. Est ergo tunc moralis certitudo de validitate Sacramenti ex parte ministri in aliqua absolute: licet in particulari in hac, vel illa determinate non sit tanta certitudo.* (Tom. 3. de gr. l. 9. c. II. n. 7.) Quantum verò ad condiciones, quas afferre necessariò ipse pœnitens debet, néve non attulerit, & frustratus propterea Sacramentum sit, timeri potest; aliæ tandem illæ sunt, nisi ut conscientia suæ latebras solerter scrutatus, si quid ibi capitalis culpæ nondum expiatum deprehenderit; & commisisse ex animo doleat, & Sacerdoti candidè aperiat? Non aliæ profectò. Quænam ergo illarum tam difficilis paratu est, ut quisquam Christianæ perfectionis cultor  
su-



susplicari probabiliter possit, in nulla ex tot confessionibus, post sanctioris vitæ initia à se' obitis, eam sibi adfuisse? Num sincera, & fidelis noxarum memoriæ occurfantium expositio? Atqui adeò perspicuum cuique est, ullámne, cujus recordaretur, capitalem noxam sciens, volénsque in Sacramento reticuerit; ut factúmne id, an non factum à se sit, juratus affirmare post confessiones singulas queat. Num igitur (quæ altera est conditio) summus, atque intimus de patris criminibus dolor? At enimverò, & liberrimum cuivis volenti est sic dolere; & ipse voluit, conatúsque est, quantum in se erat, id agere: neque dolor prædictus rara adeò, & laboriosa res est; ut credibile videatur à DEI famulo, quantumvis volente, & conante, nunquam fuisse in ulla tot suarum confessionum pro eo, ac necessum erat, conceptum. Alioquin quid de vulgo fidelium fieret, cujusve ex iis speranda esset salus; si etiam ii, qui perfectiori vitæ operam navant, nunquam poenitentiaë Sacramentum, etsi ad illud separare diligenter studuerint, cum idoneo, & sufficienti dolore susciperent? Ah credi non potest, DEUm voluisse, ut tam difficile & ambiguum humano generi esset remedium, quod cæteroqui adeò illius fragilitati erat necessarium ad æternam consequendam salutem: habendúmque ideo pro eventu moraliter impossibili est, quòd, qui à pluribus  
retro



retro annis peculiarem DEI famulatum profitetur: omnésque illius graves offensas solertissimè vitat, quin & ordinarias, & leves frequenti confessione eluit: ne semel quidem tanto temporis tractu sacram exomologesim peregerit cum ea præparatione animi, quæ ad superioris vitæ culpas delendas, & recuperandam DEI gratiam sufficeret. Ità certè sentit citatus paulò antè Suarius: affirmans, ubi quispiam longo tempore cum peculiari æternæ salutis, & spiritualis profectûs sui cura vixerit, pœnitentiæque interim mysteria frequentârit cum eo, quem sat esse arbitratur, interiori paratu; esto de peculiari quapiam confessione dubitare secum possit, num valida, & efficax fuerit; haud tamen de omnibus posse idem dubium prudenter concipere. *Tunc enim, licet talis homo in una, vel altera confessione hasitare possit; tamen in confuso moraliter est valde certus, aliquando ritè confessum esse. Ergo hoc satis est, ut talis homo cum magna fide morali judicet, se aliquando amissam gratiam recuperâsse. (ibid.)*

12. Imò tam verum id est, ut re probè æstimata nulla mihi occurrat ratio, cur vir pius, præsertim non indoctus, si ad interiores suos actus velit mentem advertere; nequeat de peculiari etiam quavis confessione esse moraliter certus, quòd eam cum sincero de offensis divinis dolore, & firmo melioris in posterum vitæ proposito obierit.

Nam



Nam & curam adhibuit, ut prædictos actus conciperet; qui faciles cuivis homini sunt, qui vel mediocriter in DEI cognitione, & amore profecerit. Quidnam igitur causæ est, cur dubius animi pendeat, num eos re ipsa conceperit, nec potius conceptos à se esse pro certo habeat? Ne id esset imitari quodammodo scepticorum vecordiam, qui nihil usquam certi statuentes dubitabant, nossentne revera, quæ noverant, & velentne, quæ volebant, philosophandi ratione prorsus homine indigna, & ipsiusmet sensûs communis experte; quo quisquis præditus sit, ac ritè utatur, intelligere satis potest, aliquidne velit, aut nolit: præsertim si ejusmodi affectus non temerè, obiterque in illius animo exoriantur, sed ipsemet ad eos concipiendos sedulam ultrò operam, studiùmque adhibuerit.

13. Adjice huc: quòd, licèt anxius esse aliquis pergeret de suarum confessionum efficacitate, & valore ob clandestinum fors quodpiam ministrorum, à quibus ibi absolutus est, vitium; habet tamen aliam quivis DEI servus rationem, qua certior fieri de sua cum cælesti Domino amicitia possit: actum videlicet perfectæ charitatis, unde ad crimina omnia, quibus eum offenderit, summopere detestanda, & odio habenda impellatur. Nam & quilibet hujusmodi actus satis per se est, ad hominem, qui DEO exosus foret, cum



eo reconciliandum; & illorum complures ab hominibus, divinæ consuetudini deditis, partim in pœnitentiæ Sacramento, partim etiam in quotidiana oratione exerceri solent. Quamobrem facillimè hi possunt omni procul dubio statuere, in DEI sese amicitiam saltem per eorum aliquem restitutos jam esse. Neque aliquis fors objiciat, perfectæ charitatis actus arduam plus nimio, nec nisi perpaucorum rem esse. Per tot siquidem annorum millia, quot à primo mundi exortu ad usque Christi mortem fluxerunt, unica hominibus ratio, quâ peccatorum à se criminum remissionem consequi possent, fuit eorum pœnitentia, & detestatio ex Theologicæ charitatis impulsu. Si itaque adeo id factu arduum ipsis met perfectionis Evangelicæ cultoribus foret, quotusquisque scelerum veniam, & reconciliationem cum DEO promeruisset, ante divini verbi in terras adventum, quando etiam justis, piisque homines neutiquam profitebantur vitæ genus tam sanctum? Væ humano generi ab opinione prædicta! quæ idcirco repudianda vel uno hoc nomine est, quòd cum divinæ bonitatis injuria excogitata sit, durè adeo eam nobiscum egisse, ut, quo tempore minor in mundo veritatum supernaturalium intelligentia, & coelestium auxiliorum copia erat, nullum esse aliud peccantibus sempiternæ salutis obtinendæ instrumentum voluerit, nisi quod

O

ob



ob nimiam difficultatem etiam inter eos rarissimum sit, qui sub lege Evangelica vivunt, uberiori rerum divinarum luce illustrati, & amplioribus cœlestis gratiæ subsidiis adjuti. Sed omissa etiam hac ratione, & rem ipsam suis duntaxat momentis inter nos ponderando, quænam, rogo, difficultas occurrere homini potest jam diu vitam spiritualem profitenti, ne ita secum ratiocinetur? DEUS, prout indubitatissimis non solum Christianæ fidei, verum etiam rationis humanæ testificationibus constat, infinita adeò perfectione, bonitate, & pulchritudine excellit, ut à nostrum quolibet plus longissimè diligi mereatur, quàm aliud quodvis objectum, aut nos ipsos diligamus. Cùm ergo tale illius meritum sit, & ego pro arbitrii mei libertate ità amare illum possim, quidni etiam velim? volo sanè: paratissimus ideo prius bonorum quidlibet repudiare, & malorum subire; quàm illum, cæteris mihi rebus universis, méque ipso chariorem offendere. Et quia ipsum infinitæ amabilitatis suæ causâ sic diligo; odi, ac detestor, supra quidquid detestabile est, meam in tali Domino toties offendendo perfidiam, plusque de hac doleo, quàm de meo quovis malo dolerem: fixum propterea, & deliberatissimum in animo habens creati nullius seu boni amore, seu mali metu eum deinceps offendere. Quænam, dico, tam extraordinaria difficultas obstare ulli servo  
DEI



DEI potest, ne hujusmodi actus velit concipere, ac volens, utpote arbitrii sui potens, concipiat? Cúrve illum stupidæ adeò mentis fingamus, ut ad suam voluntatem paulò attentius respiciens minimè advertat, hanc re ipsa sic affici, séque ideo perfectæ contritionis actum edidisse: vi cujus, tametsi præteritæ omnes suæ confessiones ob ignotum sibi aliquod crimen cassæ, atque inanes fuissent; amissam peccando DEI gratiam recuperaverit, inque præsens amicus ei sit? Ego certè non video, quid tantæ hinc obscuritatis homini, naturalis sensus compoti neque scepticam Philosophiam professo, ac se ultro excæcanti superfit. Quòd si nihilominus aliqua dubitandi ratio circa hunc, vel illum ex actibus prædictis occurreret; nulla certè Suario iudice apparet circa eos universos: adeò ut probabile videri possit, inter tot contritionis actus, à fidei quopiam DEI famulo post suam ad eum conversionem quovis ferè die repetitos, nullum omnino verum, integrumque, & satis efficacem fuisse. *Sì ponamus hujusmodi hominem (ita Doctor citatus) sapius in vita vel quotidie per multum tempus iterare actus contritionis, faciendo, quantum in se est, & quantum ipse assequi potest, perseverando diu sinè conscientia peccati mortalis; non videtur possibile, quin aliquando veram contritionem eliciat, suppositis principiis certis de gratia Dei, & promissionibus ejus, quas habemus. (ibid.)*



14. Superest jam, ut secundam dubitationum, & timorum in præsentī materia radicem studeamus evellere: demonstrando, neque possibilitatem mortiferi criminis, in quod aliquis post ultimam confessionem ignoranter labi potuerit impedimento esse, quo minùs DEI servi eandem de præsentī sua integritate, ac proinde amicitia cum DEO retinere in suis animis practicam, & moralem certitudinem queant. Neque id demonstrare ullius negotii res est: nam ad culpæ capitalis reatum, ex communi Theologorum sententia, necesse est, ut, qui illo se obstringit, ( si cæteroqui timens DEI est, nec offendere illum graviter solet ) deliberatè, ac plena cum animadversione id faciat: rem scilicet vetitam volens, tametsi & vetitam à DEO esse, & à se tunc ultrò appeti intelligat. Jam verò, quamvis evenire possit, & revera perquam sæpe usuveniat, ut homines perditè impii, quibùsque ideo mos est, exsorbere *iniquitatem, sicut aquam* ( Job c. 13. ) deliberatè, scientérque peccatum velint, & tamen ob summam rerum spiritualium incuriam aliò statim mentem avertant, nullam in memoria retinentes perversæ voluntatis suæ speciem, secundum quam illud fuisse à se volitum, affirmare dein possint; quis tamen crassam adeò conscientiaë stupiditatem suspicari queat in animabus, Christianæ perfectionis studium professis, quæque nihil seu pluris amicitia DEI faci-



ciunt, seu magis quam ejusdem offensam perhorrescunt? Nimis ah, nimis experrectus in animabus hujusmodi viget sensus, adeò & insolentis sibi accidere, & detestati à se mali, ut est culpa lethalis: tantumque absunt à nulla retinenda illius certò, & scienter admiffæ memoria, ut vel tenui ejus dubio sollicitatæ, nullum faciant examinandæ rei finem, nec prius ab infixis molestissimarum anxietatum stimulis quiescant, quam de sua sibi innocentia constiterit. Non aliter, quam cutis obdurata, & callosa, etsi graviter percutiatur, parùm dolet, & dolere citò desinit: at pupilla oculi, utpote delicatior, & leviculam quamvis offensionem acriter persentiscit, & dolorem inde haustum diu pergit manantibus lacrymis prodere. *Multùm differt* (dictum à Domino est Seraphicæ suæ sponsæ Teresiæ, gratæne, an invisæ illi foret, aliquando sollicitæ) *multùm differt lux à tenebris: nemo inscienter peribit* (*in Append. ad Relat. vit.*) Circa allata verò superiùs sanctorum testimonia, quæ contrarium videbantur asserere, dico, vel sermonem ibi fieri de peccatis venialibus, quorum plura, fateor, à spiritualibus etiam viris committi, quam adverti: vel, si de mortiferis quoque accipienda sint, nihil inde amplius evinci, quam absolutam possibilitatem, ut grave aliquod crimen admittatur sine ullo ejus morfu, atque stimulo in conscientia superstite. Quod tamen haud obstat, quin sanctioris vitæ professores



quandocunque nullo hujusmodi morfu, atque stimulo vellicantur cum plenissima probabilitate, imò & morali cum certitudine possint inde arguere, nullo gravis culpa reatu se obstringi: dicentes cum Apostolo, & Evangelista Joanne: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad eum* (Ep. I. c. 3.)

15. Atque hoc loci coarguendus mihi nonnullorum error se offert, piorum cæteroqui hominum, & Christianæ perfectioni studentium, qui, dubitatione interdum suboriente, num dæmoni ad peccandum sollicitanti interiorum assensum præbuerint? quamvis possint majori cum probabilitate contrarium apud semet ipsos statuere; tutius tamen, & spiritualis vitæ regulis congruentius putant, se ibi damnare, quam absolvere: controversiamque vel penitus indecisam relinquunt, vel in ea dijudicanda dæmoni potius, & peccato, quam innocentia suæ favent: neutiquam interea animadvertentes gravissima detrimenta, & incommoda, quæ ex hujusmodi adversum se iniquitate sibi proveniunt, ac præfertim hæc tria. Primum, quòd ad scrupulosa, & futilia dubia circa bonitatem, & malitiam suorum actuum mentem assuefaciunt, non audent ferre sententiam, nisi de rebus omnino manifestis, facilesque perturbari ad primam quamque falsi juxta, ac veri criminis speciem, & nullis  
non



non in suis rebus ad deteriora credenda proclives : non sinè periculo , ubi dubium occurrat circa res agendas , seu peccandi ex practici iudicii defectu , seu ex tutioris partis studio ea faciendi , quæ fatuitatis specie risum sapientibus moveant. Secundum : quòd lethalis culpæ horrorem suo sensim in animo obtundunt , ac minuunt : non eam ultrà spectantes , velut facinus improbitatis portentosæ , & quod vix credibile videatur , posse ab ullo sanæ mentis homine admitti : sed potiùs , quasi humanæ quemdam imbecillitatis lapsum adeò videri ubique obvium , támque rarum , & difficile à quoquam vitari , ut cenferi quodammodo proprietas , & natura hominis queat. Tertium : quòd à sua istiusmodi consuetudine deducantur , paulatim in perniciosissimam quamdam diffidentiam , & propemodum desperationem , integros sese à mortiferis quibusque noxis tuendi ; dum post decretam toties in animo earum fugam , tótque artes ad hunc finem obtinendum adhibitas , irritos cadere sibi persuadent suos omnes conatus , nec ullum labi diem , quin nescientes quo pacto , & vix non coacti in earum aliquam decidant. Quæ persuasio neminem fallit , quantum impedi- menti afferat , ne certum , atque efficax concipiatur , nunquam graviter delinquendi propositum. Cùm è contrario , si inferendo de se ipsis iudicio ea uterentur æquitate,



quam erga omnes alios servandam sibi esse intelligunt, haud sese condemnantes offensi graviter Numinis, quando probabilior iis suppetit ratio, ab immani adeò se reatu absolvendi, & usum sibi compararent decidendi prudenter conscientiae suae causas, rem sanè maximi tum ad rectam vivendi rationem, tum ad tranquillum animi statum momenti; & gravem DEI offensam, instar mali concipientes, quod pro extrema sua deformitate, & pernicie portento simile videatur, posse à quoquam rationis compote eligi; tantò illam vehementiùs perhorrescerent: tantò minùs excusabile, veniàque, & miseratione indignius censerent, ejus se reatu illigare: tanto denique firmiùs deliberatum haberent, terribilissimam illius labem, quam divinae gratiae auxilio, & praeterita intentione feliciter à se vitatam, & in quavis alia perfacilè vitabilem esse crederent, in perpetuum animo excludere.

16. Quibus confirmandis haud parvo usui esse potest mirabile exemplum, à Rosweido in Appendice ad Patrum vitas relatam. (p. 995. sub tit. Pall. Laus. c. 20. n. 16.) Aquandi necessitas pium eremi incolam sua compulit è cella egredi: sed egressu maxime infausto; nactus quippe occasionem admodum lubricam, sustinere se nescivit: quin lethale in crimen decideret. En autem vix prolapsò instare acriùs daemon, nec spacium resurgendi permittere, sed omni ope conniti, ut ex fovea luxuriae in de-

spe-



sperationis baratrum præcipitem daret: fug-  
 gerens, ut, quando apud DEUM jam con-  
 fregisset tesseram, tantique temporis in ere-  
 ma exhausti labores uno die perdidisset;  
 tetricum illud vivendi genus, quod malè  
 adeò sibi cesserat, tandem missum faceret,  
 & ad hilariorem in medio hominum vitam  
 se referret, fruiturus ibi per otium vo-  
 luptatibus, quarum modò gustum cepe-  
 rat. Oppugnatio perquam validè urgebat,  
 nihilque propiùs factu erat, quàm ut infe-  
 lix Monachus nequissimæ suasioni manus da-  
 ret, & nimia mentis confusione excæcatus  
 in ultimam provolveretur ruinam. Sed  
 periclitanti divina lux in tempore adfuit,  
 quæ doceret, sublevandi animi, & noxii  
 mœroris abigendi causâ, à recentis pec-  
 cati cogitatione, quoad immodica illa per-  
 turbatio resedisset, mentem averteret. Col-  
 ligens se itaque, posteaquam (ut credi par  
 est) perfecta contritione, & confessionis  
 suo tempore obeundæ proposito, in pri-  
 stinam cum DEO amicitiam redierat; heus,  
 ait, quænam importunæ, vanæque species  
 mihi mentem exagitant? cur despero? Qua  
 de re æger animi sum? Quòd noxam capi-  
 talem admiserim? Apage imaginationes fal-  
 sissimas, & mera vigilis somnia. Egone ut  
 graviter Deum modò offenderim, quem nullis  
 non rebus chariorem habeo, & cuius gratiâ  
 paratus sum vitam millies profundere. Nullo  
 modo id fieri potuit? Nunquam adducar, ut



factum credam. *Non peccavi, iterum dico, non peccavi.* Per lepidam hujusmodi inventionem recreatus ab exuperanti, & desperabundo mœrore ad suam cellulam rediit, consuetaque ibi cum alacritate ordinariis exercitationibus suis fungi perrexit, tanquam si nihil novi evenisset. Neque non providum, & salubre id illius consilium fuisse, spirituali ejusdem magistro aperuit DEUS revelans homini generatim, suum illum discipulum de hoste tartareo, à quo victus primùm fuerat, insignem mox victoriam retulisse. Profectus hic ergo ad alumni sui cellam, ut rem totam enucleatiùs cognosceret, cum prima inter verba, fatin salvæ? interrogasset; ità Pater, responderi ab eo audit. Nihilne igitur his diebus perturbationis, tristitiæque expertus in animo es? Nihil, DEO adjuvante, alter subjecit. At quonam id pacto, cum DEUS hæc mihi de te revelaverit? Age itaque, exceptit Monachus, quando rei summam divinitus nôsti, ejus quoque seriem, ac modum tibi candidè aperiã. Nec plura, & quidquid sibi acciderat, ut primò lapsus esset, quaque mox ratione à casu resurrexisset, speciãtim exposuit, non sinè magna senioris admiratione, qui Authori bonorum omnium gratias de eventu illo agens, concludit: *certè, frater, discretio tua contrivit virtutem inimici.* En ergo pulchrum stratagema, quo simplex hic DEI servus periclitanti suæ salutati



luti consuluit. In apertum ille crimen corruerat, & tamen illud sibi inficiens, ne à tristitia inde exorta in desperationem ageretur, providit. Nec de hujus remedii usu reprehensus à DEO est, sed potius pro bona sua fide, ac mente laudatus. Cur igitur vir spiritualis, & amicæ cum DEO conjunctioni deditus, ubi certus de admisso crimine haud est, imò potest majori cum rationis specie infontem se credere; consultius factu existimet, illud sibi imputare: neque contra noxiorum effectuum respectu, quos oriri inde vidimus, in hujusmodi dubiis prudentius videatur factururus, si pro parte solidioribus fundamentis nixa, sua nimirum integritate, ferat sententiam? Generalem solummodo de totius vitæ suæ noxis actum contritionis eliciens; deque casu præsentis, tanquam de re minimè dubia, apud se dicens: *Non peccavi, iterum dico, non peccavi.*

17. Scio, approbandi, tuendique contrarii moris causâ, proferri à nonnullis solere celebrem illam D. Gregorii sententiam, (*l. 12. Reg. Ep. 31. ad inter. 10.*) *Bonarum mentium est, ibi etiam aliquomodo culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Sed minimè ad rem: aliud quippe est bonas, hoc est, salutis æternæ studiosas, & timentes DEum animas, nisi prædicta earum bonitas convenienti prudentia gubernetur, solere præculparum odio, ac formidine eas, & ubi  
non



non sunt, sibi fingere, quod unum à D. Gregorio ibi affirmatur; aliud verò, vanas culpæ imaginationes, quas illis prudentiæ expers bonitas suggerit, esse rem per se bonam, atque utilem, & pro tali suadendam: quod neque sancto Pontifici dicere unquam venit in mentem; neque ullus mentis cordatæ, hoc est plus quàm simpliciter bonæ, vir dixerit. Quemadmodum morbos item esse, quosdam scimus, robustorum corporum proprios, nec molestiam facessere imbecillioribus solitos: quos tamen nemo dixerit corpori utiles, quia ex bona, hoc est valida constitutione originem ducant. Denique nihil visu crebrius occurrit, quàm mali effectus à causis, bonis quidem, sed non ritè, ac convenienter temperatis producti. Usque adeò ipsummet bonum, si congruenti mensura, & temperie careat, noxium evadit.

18. Cùm ergo interiores DEI famuli, ceu demonstratum hucusque est, & certi esse moraliter possint de sua cum cœlesti herou amicitia; & ex certa, quietaque hujus persuasione plurimùm alacritatis capiant, ad proficiendum in ejus amore, ad libentius cum eo conversandum, & ad illi serviendum impensius, concludo, eos sibi melius consulturos, si quantum ad hoc, nulla perturbentur anxietate, & formidine propter absolutam possibilitatem contrarii: sed, quamdiu nulla suppetit peculiaris, & prudens



dens de illo ambigendi ratio, pro certo practice habeant, divina sese gratia potiri, & securo, ac gestienti animo in tam felici sua forte acquiescant. Confirmaturque id communi sapientum virorum exemplo: quos cernimus, ubi de hoc, vel illo suo bono certitudinem nacti sint, quam rerum humanarum natura, & conditio suscipit, ea contentos penitus vivere, neque de metaphysica contrarii possibilitate, quidquam plus cogitare, & sollicitudinis capere, quam si illa omnino nulla esset. Quod si aliquis secus agat, neque communi illa securitate contentus sit, sed anxie secum reputans, haud esse omnino impossibile, ut contrarium accidat; nullumque finem faciat, novis se adversus illud, & extraordinariis muniendi praesidiis, derisui vulgo est, perque ludibrium in ora hominum abit, tanquam fatuae timiditatis ostentum. Qualis exempli gratia Artemon ille fertur fuisse. (*Plut. in Pericle.*) qui cogitans, quam multa delabi supernè in caput possint, nunquam prodibat in publicum, nisi firma tectus lectica: imò & domi à duobus servis praetendi supra caput curabat. Atque hinc fit, ut, quamvis nulla nobis certa omnino adsit de nostri valore Baptismi scientia, cum tamen ille sat probabilis sit, non solent vulgo homines de re tanti momenti plus admodum cogitare, aut solliciti esse, quam si extra omne dubium ea foret. Idemque observa-  
re



re fas est in aliis rebus humanis : ubi nemini certò constat , haud fore , ut domo exiens à furioso quopiam homine districto mucrone appetatur ; vel domi manens tecti repente collabentis ruina obruatur : & tamen, quòd ejusmodi casus merè possibiles sunt , nec ullum præsens , ac peculiare indicium sui exhibent ; nemo vir prudens in iis anxie recogitandis moratur : sed omnes potiùs inter eorum discrimina securi adeò agunt ; ut securiores non agerent , si ex revelatione divina agnovissent , nunquam sibi esse eventuros. Si ergo circa hos , aliòsque ejusdem generis casus cordati quique homines tali esse animo solent ; cur aliter animatus quisquam esse in præsentì nostro casu debeat , ubi longè probabilior , & certior , quàm in allatis modò exemplis securitatis ratio se offert ? Cúrve hìc etiam abigendæ non sint , tanquam supervacuæ , imò tanquam insuper noxiæ , quæ sinè ulla peculiari , & justa ratione ob meram incerti mali possibilitatem in animo exorirentur formidines ? Num quia ad intentiorem contra malum diligentiam hominem stimulant ? At quis ignorat , diligentiam & in laudatissimis studiis esse posse imprudentem , & nimiam : ac proinde , ubi talem , atque tantam hìc prompserimus , qualis , & quanta adhiberi à prudentibus DEI famulis solet , & ad constituendam moralem certitudinem sufficit ; æquum esse ,  
ut



ut sollicitis, anxiiisque illius stimulis modum aliquando ponamus : ne , si scrupulosa sedulitate tutiores usque fieri , ac tutiores eonemur ; instar commemorati supra Artemonis fabula, & jocus sapientibus simus. Præterquam quòd post ulteriora quævis studia , & conamina, metaphysica terrentis mali possibilitas etiam tum permanebit : semperque in carceribus nostri stadii erimus , neque absolutæ certitudinis compotes, neque practica, morali fruente, nullumque aliud ferè nacti inconsultæ diligentia præmium, nisi anxietatem perpetuam : quæ, quanto cor angustabit magis , tantò minùs expeditum relinquet, ad percurrendas divinæ charitatis vias , ubi cordis latitudo præcipuum est progrediendi subsidium ; ut de se David testatur , DEO canens : ( Ps. 118. ) *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Quanto itaque providentioris consilii fuerit, ut, si cui constare moraliter potest, revera DEI amicum, atque filium se esse, pro tali is se habeat, & gerat? in id unum suas omnes curas intendens, ut in illius amicitia magis semper, ac magis proficiat : & crebrò detestans, quæcunque adversus eum perpetravit delicta ; non quidem ex timore, ne illorum culpa etiamnum in se duret, & deleri pio ejusmodi dolore indigeat, sed ex puro exercendi, quemadmodum per alios plures actus, minimè cæteroqui necessarios, sic etiam per hosce sui erga illum amoris stu-

stu-



studio. Quo pacto quæsitam à timore expulsiõnem culparum, & divinæ gratiæ securitatem tantò assequetur certius, quantò pœnitentiæ actus citra omnem timoris impulsum ex mero DEI respectu editi, minùs dubitari potest, quin ad eam charitatem pertineant, quæ *operis multitudinem peccatorum*, vel una per sese in justum ex impio, inque DEI amicum ex inimico hominem mutans.

19. At fortasse dicet hìc aliquis, cùm recentiores hæretici hac in materia modum omnem excefferiat, statuentes, pro certissimo fidei dogmate habendam Christiano cuique homini esse suam cùm DEO amicitiam; tutiùs videri, si quàm longissimè fieri potest, ab eorum temeritate abscedamus, omnem prorsus damnando, etiam practicam, & moralem illius rei certitudinem. Talis est nonnullorum opinio; sed iudicio meo parum solida, eorùmque magis propria, qui solam rerum speciem attendant: quàm qui easdem penitiùs introspiciant, inque trutinâ rationis examinent. Neque enim semper modus maximè idoneus revocandi ab uno extremorum homines est violenta ad aliud contrarium impulsio. Sed non rarò contingit, ut ab extremo, ad quod quis reluctans propulsus fuit; faciliùs, libentiùsque ad alterum transeat, quàm ex medio utriusque interjecto transisset. Quin imò probabile mihi admodum est, temerariam hæreticorum sententiam de summa circa divinæ

gra



gratiæ possessionem certitudine, vel ortam primò esse, vel, quò latiùs propagaretur, adjutam à nimiùm timidis hujus, illiùsque orthodoxi Authoris sententiis, de nulla omnino, vel minima circa id certitudine. Nam cum permulti cor sibi violenter comprimi à summa illa in re tanti momenti ambiguitate sentirent, neque eam ullo pacto verisimilem arbitrarentur; horrere, & averfari duras adeò sententias cœperunt. Unde factum est, ut horrore hoc impulsì, quàm longissimè poterant, ab iis se reducerent, neque in moderatori alia, & finitima iis sententia consistèrent, sed ad illam, quæ omnino, & maximè erat contraria, transgredèrentur. Quemadmodum, qui à termino quopiam magna vi resilit, non solet in illius vicinia hærere, sed, quamdiu impetus, per quem inde repulsus est, manet, pergìt ab eo semper longiùs recedere. Et revera Lutheri satellites Chemnitius, quò Tridentinam Synodum vendibiliùs impugnet; cogi ab ea homines fingit ad perpetuò, & usque quaque ambigendum de divina in suis animis gratia, invidiosè exclamans; *Qualis est illa doctrina, cujus effectus, summa, & finis est, ut anxia conscientia quarentes consolationem, rejiciantur in perpetuas hesitationes, & dubitationes suæ cum DEO reconciliationis, salutis, & vitæ aternæ!* Quæ illius exclamatio majorem vim haberet ad creandam apud vulgus invidiam definitionibus sacræ illius Synodi; si nos quoque au-

P

dien-



dientes damnari ab ea summam de divina gratiæ possessione certitudinem, qualis est certitudo fidei; perperam inde argueremus, summam contrà ab eadem circa id ambiguitatem præscribi. Quamobrem sapienter Bellarminus respondet, egregiè hallucinari, seu veriùs impudenter calumniari hominem, dum prædicat, à Concilii doctrina nos cogi ad ducendam in perpetuis hæsitationibus, & conscientiæ angoribus vitam; cùm non desint ex Catholicis Authoribus plures, qui, quamvis jurati in Tridentinæ Synodi verba, doceant nihilominus, posse hominem eò securitatis circa præsentem suam justitiam pervenire; ut, licèt dubitare de illa queat, tamen nîl dubitet: neque ideo opus cuiquam esse, in omnimoda vel securitate, vel anxietate, tanquam nihil præterea eligendum occurrat, ævum traducere: sed inter duo hæc extrema, tertium, mediùmque adhuc superesse practicæ, & moralis certitudinis statum, in quo veris DEI servis tranquillissimè liceat, quasi in quodam terrestri paradiso quiescere. (*de justif. l. 3. c. 11.*) Neque enim bona est argumentatio: *Catholici non habent certitudinem fidei de sua justificatione; igitur semper dubitant, hærent, anxii sunt. Sicut neque contrà rectè quis concluderet: Catholici non sunt anxii, neque hæsitant de sua justificatione; ergo certi sunt certitudine fidei, remissa sibi esse peccata. Datur enim aliquid medium inter hæc extrema, videlicet certitudo quadam moralis ex parte*

in-



intellectus, & spes, ac fiducia ex parte voluntatis. Hanc igitur certitudinem libenter agnoscimus, quæ non oritur ex præsumptione imputatæ justitiæ, neque est certitudo fidei Catholicæ: sed oritur ex charitatis, & bonorum operum experimento, ac per hoc moralis, & conjecturalis certitudo appellari potest: ita Bellarminus. Tantùm igitur à vero abest, debere nos, quia hæretici cuiusvis fidelium summam, & falli nesciam de præsentis sua justitiæ certitudinem tribuunt, omnem prorsus de eadem certitudinem tollere; ut potiùs hoc pacto ansam iis præberemus abalienandi se magis à doctrina Catholica, suoque in errore pertinaciùs hærendi: at contra justam aliquam, & legitimam admittentes fateri eos cogamus, nullam sibi causam, & necessitatem adesse confugiendi ad suum illud extremum, quasi ad unicum pacis asylum: cùm neque Catholicis pacatissimum aliud desit in sua, non plùs quidem morali, sed rationi consentanea, & sufficienti alioquin certitudine asylum.

## CAPUT IV.

*Neque satis valere, ad perturbandam nostram cum DEO conjunctionis jucunditatem, quòd de perseverantia in eo amando, deque æterna consequenda salute nil omnino certi habeamus.*

AT, si fideles DEI servi idoneam non habent trepidationis, & anxietatis causam de præsentis sua cum illo amicitia; habebunt



eam saltem de perseverantia illum deinceps amandi, deque æterna consequenda salute. Etenim, sive consideremus, quæ extra nos sunt; quid aliud intueri fas est, nisi animæ offendicula, peccandi illecebras, & salutis discrimina? sive intra nos ipsos mentis aciem reflectamus, quæ nostri pars occurrit non morbosa, vitiata, & corrupta? Caro spiritui adversa, appetitus rationi perduellis, intellectus cæcutiens, voluntas ad malum proclivis, omnia demum, quasi triste quoddam miseriarum theatrum, chaos perturbationum, seminarium errorum, & criminum. Firmi, esto, quantumcunque in nobis sint virtutum habitus, perspicuæ veritatum æternarum notitiæ, valida bene agendi decreta. Omnem hunc spiritualis opulentia thesaurum gestamus *in vasis fictilibus*, quæ ad levem quamque offensam dissiliunt; modò plena, jam subito inania. Omnes hujusmodi supernaturales prærogativæ, ceu varia olim Babylonii Colossi metalla Cretacæ basi incumbunt, naturæ videlicet imbecilli, mutabili, cujus princeps elementum est inconstantia: adeò ut iis subvertendis nullo opus sit arietum, seu turbinum impetu, sed & lapillus in fragilem illam basim temere incurrens sufficiat. Et verò, rarane id genus ruinarum exempla se obijciunt? Possem ad earum specimen sanctum Regem Davidem proferre, virum *secundum cor DEI*, tamque firmæ in famulatu ipsius



voluntatis, ut diceret: (*Pf. 29.*) *Non movebor in aeternum*: qui tamen ab obtutu minus cauto non motus solummodo est, sed & in adulterii, ac homicidii barathrum foedissime præcipitatus. Possẽm illi adjungere Apostolorum Principem Petrum, qui ad repentinam non immanis tyranni, sed imbellis mulierculæ aggressionem oblivioni mandavit, quidquid paulò antè animosè ad eò cœlesti suo Magistro pollicitus fuerat, (*Matth. c. 26.*) *Etiam si oportuerit me mori tecum; non te negabo.* Ex Martyre, qualem se gloriabatur futurum, in apostatam, qualem nunquam se fore existimabat, mutatus. Possẽm alios, item quàm plurimos, quibus plena historiarum sunt monumenta. Sed omnibus prætermisissis contentus ero unius Origenis mentionem fecisse. Contemplamini illum, si libet, qualis meliori ævo suo fuit, aureo capite ob cœlestem sapientiam, argenteo pectore ob eximium innocentiae candorem, nullòque non firmiorem ære, atque ferro, si vivendi austeritas, & martyrii cupido attendatur. Proh DEUM immortalem! quisnam suspicatus unquam esset, fore, ut tanta virtutis soliditas, & meritorum opulentia in præceps rueret, comminueretur in fragmenta, *quæ rapta sunt à vento, nulliusque locus inventus est eis.* Ulline in mentem venisset, tam præclarum heroem damnatum iri potius unà cum Arriis, & Nestoriis, quàm publicæ venerationi propositum cum Athanasio,



nasiis, Gregoriisque, & Basiliis. Et tamen, quia infelix Origenes nihil plus homine erat, cujus proprium est *nunquam in eodem statu permanere*, & quia cum peculiaris excellentiæ suæ auro, argentoque junctum in se habebat communis naturæ, ac fragilitatis lutum; en illum, ad universæ posteritatis terrorem, orthodoxæ fidei desertorem, hæresum factorem, à quinta œcumenica Synodo diris devotum, & si vera fuit visio, cui-dam DEI famulo objecta, in fumidum averni torrem ex lucidissimo cœli astro conversum. Quamquam quid alienis exemplis est opus, ac si sua cuique experientia non satis ostenderet, quàm levi momento in contrarium mutabilis, nec unquam sibi diu similis, sed maritimo quovis æstu inconstantior noster animus sit? Cùm non rarò us-veniat, adeò ad serviendum DEO alaeres, inque ejus amore firmos nos esse; ut tanquam peccandi impotes, creatas res omnes ad faciendum nostræ constantiæ periculum, animosis iis provocemus Apostoli verbis: (*ad Rom. 8.*) *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI.* Qui vix horulâ elapsa ad illecebrosi objecti subitam speciem, vel diabolicæ tentationis incursum, usque adeò diversum animi habitum,

&amp;



& contrarias prioribus propensiones induimus; ut penè dubitemus, an iidem simus, qui paulò antè eramus: videntésque nos tam repentè à tertii cœli sublimitate in extremam dejectos a vernalis hiatûs crepidinem cogamur cum eodem Apostolo queri, (*ad Rom. 7.*) *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Quisnam ergo incedere timoris vacuus per viam poterit, tot undique insidiis, & periculis consitam? quisve ibi certam salutem præsumere, ubi (ceu quondam dixit David, & nulli non fas est de se dicere) *Uno tantùm gradu ego, morsque dividimur?* (*1. 1. Reg. c. 20.*)

2. Ità sanè multi secum disputant, assiduèque occupatam formidolosis imaginibus mentem non audent, qua par est, alacritate, ad divinæ opis fiduciam erigere. Quodnam igitur insistendum iter mihi est, ut eorum animos à nimis anxia trepidatione exsolvam; aptiores ad amicam, & suavem cum DEO consuetudinem reddam? Negémne, aut saltem extenuem, quibus consternari illos video, salutis discrimina? Nulla ad propositum mihi finem hujusmodi arte opus habeo. Imò tantùm à necessitate, & cogitatione absum, illorum rationibus obviam eundi, ut earum potiùs vim, atque pondus pro virili acturus sim: contestando, parùm esse, quidquid ipsi prædicârunt sive de periculis, quæ assiduè nos circumstant, sive de viribus, &



multitudine hostium, à quibus impugna-  
 mur, sive de nostra imbecillitate ad utrorum-  
 que propulsandam perniciem. Ita sanè:  
 totum id assevero, & persuasissimum habeo:  
 fateorque propterea, nullum in terris exi-  
 stere hominem tam eximiae, perfectaeque  
 virtutis, quin continenter in proximo, &  
 manifesto versetur præcipitandi, ac pereun-  
 di discrimine. Quàm tamen pro certo id  
 contestor; tam indubitanter subjicio, nemi-  
 ni idcirco justam suppetere deijciendi animi  
 causam: sed potius par esse, ut nihil seu ob  
 nostram infirmitatem, seu ob adversario-  
 rum vim consternati, secura, & hilari præ-  
 cipiamus spe ex eorum nos oppugnationis  
 evasuros victores, Deique in amicitia ad ex-  
 tremum usque spiritum perseveranter man-  
 suros. At quo tandem id præsidio? uno  
 hoc, & certissimo; & nulli non obvio:  
 nempe ut persuasum quàm firmissimè habentes,  
 actum omnino esse de nostra perseve-  
 rantia, si nostris tantummodo ea viribus in-  
 nitatur, pluries quotidie, ac præsertim in  
 peccandi periculis opportunum à DEO flagi-  
 temus efficacis suæ gratiæ subsidium; eo si-  
 quidem nostris precibus annuente apertissi-  
 mè, & meridiana luce clariùs quivis videt,  
 nihil adversi futurum, quod nos seu possit  
 lædere, seu debeat terrere, adeò ut mi-  
 nùs tuti vivamus; quàm si nostram perse-  
 verantiam in manu haberemus. *Domine,*  
*ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos. Ecce*  
*DEUS*



*DEus Salvator meus : fiducialiter agam , & non timebo.*

3. Video id clarissimè , reponet hìc quispiam , veræque fidei expers forem , si cadendi timorem , aut dubium conciperem , ubi DEus efficaci sua gratia præsens me adjuvat. At unde certò sciam , concessum ab eo iri meis precibus tam benignæ opis præstantiam ? cùm eam neque omnibus concedat ; & adsit ratio timendi , ne mihi , tanquam prorsus indigno , negatam velit. Quid ais , ô quicumque ità differis ? cave sis , ne certissima divini verbi oracula in dubium voces : indigniòrque ob istius dubitationis injuriam , quàm ulla alia de causa illius adjutorio fias. Unde , inquis , certò mihi constet , exauditum à DEO iri meas preces ? Constat ex argumento , quo nullum potest certius humana ulla tibi ratio suggerere , nempe ex ipsius DEI Hominis testimonio. Nòsse enim debes quàm disertè non per Prophetas duntaxat , vel Apostolos , sed suomet ore professus sit , quidquid veri boni à se homines petant , concessurum petentibus. *Omnia , quacunque orantes petitis , credite , quia accipietis , & evenient vobis.* Promissum certè ab eo est , teste D. Marco , ( c. 11. ) *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo , hoc faciam ,* ipsemet dixit , publicámque in D. Joannis Evangelio ( c. 14. ) pollicitationis suæ fidem reliquit : *Petite , & dabitur vobis : omnis enim , qui petit , accipit ,* verba ipsius sunt,



sunt, à sanctis Matthæo, & Luca, (c. 7. & 11.) posteris tradita. Ubinam ergo illius esset veracitas, si talia locutus fuisset, aliud ore promens, aliud in mente conditum habens? Ubi fidelitas, si re ipsa haud imple- ret, quod tanta cum asseveratione se factu- rum recepit, nec unius, sed quotquot sunt Evangelistarum suorum calamo omnibus pro- mulgari sæculis, atque gentibus voluit? Ah, *non est DEus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? Locutus est, & non implebit?* (Nu- mer. c. 24.) Avertat ipse à Christiani homi- nis mente, ut de hac re dubitet, quam etiam sacrilegus Balaam pro indubitatissima habuit. Certè idem oraculum, quod divi- nam nobis Triadem revelavit; quidquid item boni confidenter à DEO petierimus, nostris tribuendum esse votis testatur. Ne- que ulla mihi apparet ratio, cur sinè ulla hæ- sitatione credenda illius mysterii, non autem hujusce etiam promissionis veritas sit: cur- ve aliquis de illa dubitare, tanquam infide- litatis scelus perhorrescat; hanc verò in du- bium revocare nîl timeat.

4. Quisquis itaque ex DEI famulis suam, quantum fieri potest, in tuto collocare per- severantiam optat; hanc diebus singulis co- ram DEO iterare orationem ne omittat: *Domine DEus salutis meæ, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè, & laudabiliter servia- tur, ego divina tua luce, atque ipsa expe- rien-*



rientia demonstrante, palàm video, nihil me boni propriis duntaxat meis viribus posse, ac proinde in assiduo te offendendi, tuæque gratiæ amittendæ versari discrimine. Quod cum supra omne aliud malum abominer; per tuam te immensam bonitatem, & pretiosissimum unigeniti filii tui sanguinem humillimè obsecro, ne me unquam ruere in horrendum adeò barathrum sinas: sed vel tua in periculis præsentis ope mihi adsis; vel priusquam illius occasionis articulus superveniat, in quo peccaturum me prævides, vitæ mihi filum succidas. Multò quippè levius malum arbitror mori, quàm te veram, unicamque meam vitam offendere. Hoc maximum est inter munera, quæ precari, & sperare ab infinita bonitate tua possum: & hoc fidelissimis promissionibus tuis fretus minimè timeo, ne ab eadem impetraturus non sim. Cæterorum omnium, quæ ad præsentis vitæ usus pertinent, vacuus dimitti æquo animo patiar. At hoc necesse omnimodè est, ut à te auferam. Alioquin supremi iudicii die querar, quòd speciosis promissis lusum tibi me feceris. Sed quid ego eventus impossibiles somnio? Faccessat hinc procul, non dicam suspicio, sed vel mentio, & cogitatio tam abnormis portenti, quale foret, fidem ipsam posse esse infidelem. Certissimus sum, nullo unquam pacto eventurum, ut hoc mihi deneges munus, tam præcipui ad rerum mearum

rum



rum summam momenti, nec ullius tibi impendii, & laboris: ac de illo propterea, velut de præfenti, acceptoque jam beneficio, quàm amplissimas tibi grates persolvo. Hoc, inquam, vel huic æquivalens precationis genus nullo non die iterum, iterumque instauret, cui curæ est, factam tectam ad extremum usque diem perseverantiam in DEI gratia tueri: tantumque in hac arte spei colloquet; ut si fortè post tentationem aliquam dæmonis, in qua divinum auxilium ritè imploraverit, de interiore quopiam consensu illi præfinito ambigeret, ambiguitatem illam pro inani scrupulo habeat: omnino incredibile existimans fieri potuisse, ut DEUS contra luculentas adeò pollicitationes suas ipsi humiliter, fidentèrque obsecranti adesse noluerit. Nam quod aliud orantibus nobis munus concedet, si hoc concedere abnuat, quod maximè omnium ad illius gloriam, & nostram conducit salutem, neque aliâ, quàm intimi erga ipsum amoris, vitandæque ipsius offensionis causâ à nobis expetitur: *Domine, quas tûnam preces exaudis, si has non exaudis? (Aug. l. 22. de civ. c. 8.)*

5. Ad summam, inquit Augustinus, perspicua adeò hæc veritas est, ut nullum dubitationi locum relinquat. (*Confess. l. 12. c. 1.*) *Petite, & accipietis. Promissa tua sunt. Et quis falli metuat, cum promittit veritas? Qui idem sanctus Doctor in Davidica illa verba commentans, (Ps. 65.) Benedictus DEUS, qui non*



amovit orationem meam, & misericordiam suam à me, subjungit: securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando: & hoc ex beneficio ipsius est, propterea dixit benedictus DEUS, qui non amovit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. Cùm videris, non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus. Quamobrem, re accuratè introspecta, & Theologicum ad examen vocata, concludit Suarius, si quis suam in DEI amicitia stabilitatem perseveranti oratione ab eo flagitet; fieri non posse, quin obtenturus eam sit. (Tom. 3. de Gr. l. 12. c. 38. n. 16.) Dico, si quis oret perseveranter, petendo perseverantiam in gratia, infallibiliter eam esse impetraturum. Atque ita dicimus, iustum, perseverando debito modo in orationis instantia, & frequentia posse successivè infallibiliter obtinere perseverantiam usque ad mortem. Et declarans, qualis hæc orationis perseverantia esse debeat, dicit ejusmodi esse oportere: ut non semel tantum, aut iterum fiat, sed toto vita tempore duret, & præsertim ut in occurrentibus occasionibus servandi mandata, aut vincendi tentationes cum debita fiducia repetatur. Sic enim fit, ut procedendo de uno actu ad alium, bene operando, & convenienter orando, perseverantiam infallibiliter consequatur. Quod ipsum priùs, & apertioribus verbis docuerat Joannes Chrysostrmus, ubi scripsit: Impossibile est, hominem congruo precantem studio,

&amp;



& DEO assidue supplicanti unquam peccare.  
(Hom. 29. ad Pop.)

6. Imò, etsi nulla se DEus universali promissione obligasset, concedendi nobis, quidquid munerum pie ab eo petierimus, multæ tamen, validissimæque adsunt rationes, quæ persuadeant, saltem hoc tam necessarium permansionis in amicitia sua munus nulli petentium esse ab eo denegandum. Prima est infinita illius potentia, atque bonitas. Si enim nemo hominum adeò immisericors est, ut alteri in gravissima necessitate opem suam imploranti succurrere absque ullo suo incommodo abnuat; quonam pacto ulli veniat in mentem, fieri unquam posse, ut DEus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, hominem in manifesto, atque æternum pereundi discrimine constitutum, & à se, qui unus, & nullo quidem negotio tueri incolumem potest, indè eripi suppliciter obsecrantem, omni cassum auxilio destituat? Qualènam, rogo, illum mente concipimus, si talia suspicari de eo possumus? Pudeat sanè, pudeat, imò horrore sit, Patrem misericordiarum, ipsamque adeò misericordiam, quovis homine vel mediocriter pio minùs exorabilem fingere. Atque hinc eruitur illud tam evidens argumentum, quo ipsemet demonstrat, nullas esse nobis timendas à sua incomparabili bonitate votorum repulsas, dicens apud S.  
Mat.



Matthæum : ( c. 7. ) *Si vos , cùm sitis mali , nõstis bona data dare filiis vestris , quantò magis Pater vester , qui in cœlis est , dabit bona petentibus se ?* Neque ego certò assequor , quomodo magnæ DEI parentis misericordia , tametsi alio de fonte in eam derivata , neque plùs quàm finita , justam D. Bernardo suppeditare causam potuerit , coram ea profitendi , ( *Serm. 4. de Assumpt.* ) *Sileat misericordiam tuam , Virgo beata , siquis est , qui invocatum te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Neque justiore multò cœlestis Patris nostri misericordia , per suam ipsi essentiam conveniens , nullisque certis limitibus definita nobis omnibus præbeat , similiter apud eum profitendi : *Sileat misericordiam tuam , clementissime DEus , si quis est , qui invocatum te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Secunda ratio ducitur ex singulari benignitate , qua in filiorum loco nos habere se ostendit , præcipiens , ut orationis initio Patrem eum vocaremus. Licet quippe cum S. Augustino hinc arguere , si non rogatus , & ante orationem nobis tribuit , ut filii sui essemus ; multò magis concessurum rogantibus , ne à filiorum gradu , & conditione excidamus. ( *de Serm. Dom. in Monte c. 8.* ) *Hoc nomine Patris quædam excitatur impetrandi præsumptio : cùm , priusquam aliud peteremus , tam grande donum acceperimus , ut sinamur dicere , Pater noster. Quid enim non dabit filiis petentibus ; cùm hoc ipsum ante dederit,*



*ut filii essent.* Similis huic est tertia ratio ex aliis majoribus beneficiis desumpta, quæ item ultro, & *motu proprio* nobis præstitit, cujusmodi sunt, nostram sibi humanitatem aptasse, dirissimamque in ea mortem pro nobis obiisse. Neque enim probabile ullo pacto videri potest, negaturum minora nostris precibus, qui ante quasvis preces, quod tantò majus est, spontanea largitate donavit. (*de commens. Cruc. inter opera D. Ans.*) Quia *majora, quæ fecisti, animant nos, ut de minoribus confidamus.* Omnia enim, quæ petere possumus, *minora sunt, quàm quòd tam dignanter pro nobis es incarnatus, & passus.* Efficacissima sanè ratio, bisque producta à D. Paulo in sua ad Romanos Epistola: semel c. 8. hisce verbis: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Alia verò vice c. 5. ubi idem argumentum multò adhuc validiùs corroborat, observans, maximum illud donum impertitum à DEO nobis fuisse, etiam tum perduellibus, atque inimicis: ut timendum propterea non sit, ne minora familiaribus, atque amicis nunc deneget. Etenim, *si, cum inimici essemus; reconciliati sumus DEO per mortem filii ejus; multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Succedit quarta fiduciæ ratio, maximi & ipsa ponderis, quippe circa impetrationem rei, quam obtineri à nobis præcipuæ curæ, & voluptati DEO est. Cum nihil

nihil  
sua f  
omn  
natu  
rus  
impe  
rem  
mac  
inde  
coro  
nis  
cens  
liter  
in a  
nun  
mop  
mur  
cæt  
fitu  
Tem  
peris  
que  
per  
lius  
car  
no  
tur  
pre  
en  
ve  
riu  
qu



nihil ille optet magis, quàm nostram in gratia sua firmitudinem: imò hæc Icopus sit, ad quem omnia collineant seu naturalia, seu supernaturalia illius opera. Cur ergo negaturus sit nostris precibus bonum, quod adeò impensè nobis desiderat, quòque ut poteremur, tot instrumenta, atque artes, & machinas ultro adhibitas voluit? Ne id perinde esset, ac si Pater, qui nihil æquè cordi habet, ac filii in liberalibus disciplinis profectum, nullisque sumptibus parcens, plura quot annis aureorum millia in literarios illius usus expendit; rogatus dein ab eo non plùs, quàm octo, decémve nummos, emendi libri caulà, suis maxime studiis necessarii, recusaret minimum id pecuniæ ad finem conferre, tot cæteroquin sibi curis, atque impensis quaesitum. Rectè Augustinus (*Serm. 109. de Temp.*) *Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire, quos emit. Non emit, ut perdat.* Denique certum est, fieri non posse, ut nos supernaturali hoc munus perseverantiæ in illius gratia à DEO peteremus, nisi ipse arcano suo instinctu ad hujusmodi petitionem nos excitaret. Unde nova, & quinta oritur nobis ratio confidendi, impetraturos procul dubio ab eo esse, quod petimus. Cur enim ad postulandum nos stimulet, nisi vellet postulata concedere? *Iustum desiderium tu das* (inquit D. Anselmus, vel quicumque alius librum *de commensuratione crucis* composuit)

Q

posuit)



posuit ) & ad quid dares, nisi velles exaudire ? Certè, ut Doctor mellifluus consonat, qui hortatur ad poscendum, nequit habere animum negandi, quod poscitur ( *Bern. serm. 2. de S. Andr.* ) Quando DEUS negabit petentibus, qui etiam non potentes provocat, & hortatur, ut petant ? Quas rationes quisquis accurata æstimatione pensaverit, meridiana luce clariùs perspiciet, nullo fieri modo posse, ut summus ille omnium Author bonorum, qui & pro natura bonitatem habet, & quantumcunque largiatur, nulla ex parte opulentiam suam minuit ; & profitetur, se in filiorum loco nos ducere, & ante omnes nostras preces ex mero propriæ benignitatis impulsu dona nobis largitus est omnibus, quæ precari ab eo ausi essemus majora ; negaturus jam precantibus donum sit, quo nihil nobis est necessarium magis, nihil sibi gratius, & ad quod flagitandum suis ipsemet nos arcanis impulsibus provocat, perpetuam nimirum in amicitia sua firmitatem. Abscedat hinc, abscedat quàm longissimè omnis dubitatio, concludit D. Petrus Chrysologus. *Metus locum non habet, ubi à Patre filius pietate interprete desiderat, quæ sancta sunt, impetrare. ( Serm. 10. )*

7. His porrò rationibus, quæ ad mentis intelligentiam, & persuasionem attinent, palàm nobis facientes, quot, quàmque validas habeamus causas existimandi citrà omne dubium, in divina nos gratia ad extremum



mum usque spiritum permanfuros, ubi id debita cum assiduitate à DEO flagitaverimus, alia insuper, & non minùs efficax ex parte voluntatis accedit, incitans nos, ut velimus id ità existimare, & summa cum firmitudine nobis persuadere ob præclarissimas utilitates, quæ ex tali persuasione proveniunt. Cùm certissimum sit, quantò minùs nos dubitaverimus de impetrandis, quæ à DEO poscimus, bonis, tantò ipsum promptiorem fore ad ea nobis præstanda: & si vacua omnis diffidentia nostra fuerit oratio, fieri non posse, quin plena futura sit nostra impetratio. Certissima, inquam, hæc veritas est: & pro tali habere illam nos jubet Ecclesiasticus, omni asseveratione confirmans, nusquam repertum iri hominem, quem sua de DEO spes frustrata sit, ità ut minùs illum liberalem experiretur, quàm mente conceperat. (c. 2.) *Respicite nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Pro tali magnus Doctor Gentium Paulus, scribens Romanis, nullum confusioni locum in anima esse, quam impleat divinæ opis fiducia. (c. 5.) *Spes non confundit.* Pro tali sanctus Rex David, tum eo 30. Psalmi versiculo, ubi intrepidè profitetur, nunquam fore, ut se in DEO sperasse pœniteat: *in te Domine speravi, non confundar in aeternum;* tum alio 36. ubi cuivis speranti in DEO haud dubium spei suæ pollicetur effectum: *spera in eo, &*



ipse faciet. Pro tali D. Bernardus, accom-  
 modans firmæ in DEO confidentiæ illud  
 Deuteronomii promissum : *Omnis locus, quem  
 calcaverit pes vester, vester erit : & similem ipsi  
 quoque eventum hisce verbis promittens :  
 ( Serm. 15. in Ps. 90. ) Pes vester utique spes  
 vestra : & quantumcunque illa processerit, obtine-  
 bit ; si tamen in DEO tota figatur. Qui ean-  
 dem in illis item viduæ vasis agnoscit, per  
 Prophetam Elisæum prodigioso oleo repletis,  
 sic DEum alloquens ( Serm. 3. de Annunt. )  
*Sola spes apud te, Domine, miserationis obtinet  
 locum, nec oleum misericordia ponis, nisi in vase  
 fiducia.* Quemadmodum enim ibi pro va-  
 sorum modo atque numero olei multiplica-  
 tio fuit, neque hoc prius stetit, quàm nul-  
 la ex iis superessent replenda ; haud aliter,  
 quàm capax nostra in DEO confidentia,  
 tam profusa, & exuberans illius erga nos  
 largitas est, neque minus donorum ab eo  
 unquam accipimus, quàm speravimus esse  
 accepturos. Quid plura ? pro tali esse  
 habendam evincit ipsemet Christus Domi-  
 nus, qui & dilectæ suæ sponsæ Gertrudi affir-  
 mavit, cogi se quodammodo, ut eorum  
 exaudiat preces, qui certa, & immobili  
 fide exauditum à se iri illas credant, nec  
 fieri posse, ut quidquam horum bonorum  
 petitoribus neget. ( l. 3. in fin. c. 7. ) *Secura  
 illa confidentia, quam quis erga me habet, cre-  
 dens me revera scire, posse, & velle sibi in omni-  
 bus adesse, tantam vim facit pietati meæ, ut nul-*  
 late-*



latus possim hujusmodi homini deesse : & D.  
 Matildi significantioribus adhuc verbis idem  
 expressit, dicens : ( *Blos. Mon. spir. c. 11.* )  
 Quantum quis mihi credere , & de bonitate mea  
 presumere poterit ; tantum , & infinitum amplius  
 obtinebit. Quia impossibile est , hominem non per-  
 cipere , quod sanctè credidit , & speravit : Unde  
 etiam , ceu sacra Evangelia testantur , quò  
 confugientes ad sese opis gratiâ magis ido-  
 neos accipiendis beneficiis suis redderet ;  
 solebat ab iisdem certam petita impetrandi  
 fidem exigere : eo usque aliquando pro-  
 gressus , ut universè affirmaret , omnia esse  
 possibilia credenti. ( *Marc. 9.* ) Ubi palàm est,  
 locutum eum esse non de actu illo mentis ,  
 quo indubitanter credimus , posse DEum  
 vota nostra exaudire , sed de alio magis pe-  
 culiari , quo persuasum firmissimè habemus ,  
 velle etiam pro sua benignitate iisdem an-  
 nuere. Ex quibus tam luculentis testifica-  
 tionibus ritè colligitur , si quis DEum men-  
 te concipiat , tanquam Dominum , qualis  
 revera est , cupidior bene de nobis me-  
 rendi , quàm ulla mater charissimi filii sui  
 bona cordi unquam habuerit , neque aliter  
 ad ipsum confugiat , quàm quo pacto ad  
 patrem , vel matrem confugeret , nihil sci-  
 licet timens , ne ille quæsitam sibi opem vel  
 neget , vel illibenter ferat , sed pro certo  
 habens , quàm libentissimè ab eo exaudien-  
 dum se esse ; colligitur , inquam , si quis de  
 DEO ita sentiat , talique cum fiducia illius



opem imploret, fieri non posse, quin voti sui compos evadat, eumque tam munificum re ipsa experiatur, quam spe, & cogitatione futurum præsumpserit. Cum ipsimet homines, quamvis longè secundum opulentiam, & bonitatem inferiores DEO sint; si aliquem tamen noverint præclaram de liberalitate sua speciem impressam animo habere, & certò confidere, benefica illorum ope in præsentis quapiam egestate sublevatum se iri ab honorifica hac benignitatis suæ opinione, & fiducia ad amicam erga illum voluntatem concipiendam moveantur; imò & quamdam sibi imponi quasi necessitatem adjuvandi illius sentiant: erubescunt videlicet, illum à sese animi ægrum dimittere, & suæ subiratum pristinae credulitati in ipsis munificentioribus existimandis, quam re ipsa esse deprehendat.

8. Quandoquidem igitur & quinque supra allatae rationes nullum nobis dubitandi locum relinquunt, quin DEUS debita cum perseverantia, & assiduitate à nobis obsecratus in sua nos gratiâ stabiles conservaturus sit, & liberalissima insuper, qua se obstrinxit, promissio, piis quibusque fidelium petitionibus subscribendi, tantò illum peculiari huic nostræ petitioni promptius subscripturum persuadet, quantò inter omnes alias majoris ea est in rem nostram momenti; & postremò palàm vidimus, nullo fieri modo posse, ut quidquam boni ipse denegat, quod



quod cum indubia impetrandi fide ab eo fuerit petatum; quandoquidem, dico, unumquodque ex tribus hisce capitibus, & multò magis ea omnia simul collecta nos impellunt, imò etiam quodammodo cogunt, ut credamus quàm certissimè, summam DEI bonitatem concessuram esse precibus nostris, ubi præsertim cum suprascripta impetrandi fiducia ipsi offeruntur, excellentissimum, maximèque necessarium perseverantiæ in gratia sua donum; quisnam tandem ausit me reprehendere, si persuasissimum habeam, me id muneris ab ea impetraturum? Aut quonam nomine meæ hujus persuasionis securitas vituperari à quoquam merebitur? Num quasi temeraria, nec idoneis rationibus nixa? At quomodo talis jure appelletur, cum pro firmitudinis suæ fundamento divinam fidelitatem, & beneficentiam habeat, cui (Authore D. Thoma) *nullus potest nimis inniti?* (2. 2. *quæst.* 7. a. 5.) Num, quasi arrogans, & justo elatior, utpote quæ nullo terreatur tot criminum à me commissorum respectu? At cur terreri illo debeat, cum Dominus sinè ulla hujusmodi exceptione omnium ad se confugientium precibus benignissimum fiat pollicitus sit? Cùmque juxta citati modò D. Thomæ doctrinam, (2. 2. *quæst.* 178. a. 2. ad 1.) oratio in impetrando non innitatur nostris meritis, sed soli divinæ misericordiæ: quæ omnibus indiscriminatim se impertit, nec ulli petentium delicta



sua exprobrat, (*Jac. Ep. c. i.*) *Dat omnibus affluenter, & non improperat?* Num ratione periculorum, in quæ ab ipsa conjicior, superbiendi, & peccata minùs cautè vitandi? At quod ad primum ex prædictis periculis attinet, satis jam in præsentì capite ostendi, aliud revera esse tumorem animi, aliud eiusdem securitatem: nec ab ulla prudentiæ lege præscribi, ut homines, quod suapte natura utile sibi est, derelinquant, metu superbiæ, cujus aliqua subnasci inde possit occasio: cùm aliæ artes, ad hoc malum declinandum idoneæ, etiam citra illius boni repudiationem non desint. Quantum verò ad posterius periculum, non video, quonam pacto spes minimè dubia mortiferi cujuslibet criminis per divinam opem à me ritè imploratam vitandi, possit minùs cautum in eo fugiendo me reddere: cùm veriùs incitamento mihi sit, atque stimulo, ne à continuanda divinæ opis imploratione desistam, cui nimirum, tanquam necessariæ suæ conditioni, tota ipsius firmitudo incumbit. Utque id luculentius pateat, fingamus, adolescenti cuiquam revelari divinitus, si sedulam literis operam navet, miras eum in quovis doctrinarum genere progressiones facturum. Quæro, numquid optatissimum hunc studii sui effectum ità indubitanter præscire negligentior in studendo illum faciet? Nemo rerum prudens æstimator id dixerit. Palàm quippe est, nulla re  
exci-



excitari homines magis ad strenuè, graviterque cuivis ministerio vacandum; quam si certò noverint, eximium se laturòs impensæ ibi operæ pretium. Sed tota hallucinatio inde provenit, quòd minimè distinguatur securitas absoluta, & nullius operationis nostræ indigens, à conditionali, quæque aliquid fieri à nobis requirit. Quam distinctionem quisquis ritè adhibuerit, exemplo perspiciet, quamvis prior securitas sæpe sit fomentum ignaviæ; posteriorem esse potius incitamentum solertiæ: efficiendo videlicet, ut exemplum modò allatum demonstrat, ut homines studiosius, atque alacrius ea exequi curent, quibus peractis, propositum sibi finem se certissimè assecuturos noverunt.

9. Age jam, ad dictorum conclusionem accedentes, statuamus tandem, quidnam in præsentis disceptatione factu optimum, & rationi congruentissimum sit. Estne aliquis, qui post omnia hæctenus disputata suspectam habere, & damnare etiamnum pergat meam hanc perpetuæ in divina gratia mansionis à divina misericordia procul dubio impetrandæ fiduciam? Quidnam igitur mihi contrà faciendum præscribit? Nempe illud, inquiet, ut pro eo, ut expectem indubitanter à DEO, quod assiduis precibus à bonitate ipsius flagito, perseverantiæ donum, timeam, ne illud impetraturus non sim. Itane verò? hoc ergo illud est, quod mihi tanquam

Qs

tutius,



tutius, & salubrius bonus iste censor suadet? Ut scilicet loco petendæ opis à meo Patre cœlesti cum certissima impetrationis spe, eam deprecet potius animi dubius, cumque metu repulsæ. Et suæ isti tam præclaræ suasioni auscultaturum me putat? Nunquam certè auscultabo. Si enim hac in re illi obtemperarem, & gravissimam DEO injuriam facerem, revocans nempe in dubium plùs quàm paternam ipsius ad nos adjuvandos propensionem, imò etiam fidelitatem publico obstrictam promisso neminem non exaudiendi, qui egens ad suam opem confugerit; & meæ insuper orationi omnem penè impetrandi vim auferrem, utpote firmâ illâ carituræ, immotâque fiducia, unde vitam atque spiritum ducit, & sine qua vix aliud dici potest quàm exanime orationis cadaver. Aliis proinde auditoribus has suas in orando dubitationes commendatum ac persuasum eat. Ego quippe credendum potiùs duco sanctissimo Christi Apostolo, & fratri Jacobo, qui in Canonica sua Epistola (c. 1.) unumquemque fidelium hortatur, ut, quæ opus sibi sunt, *nihil hæsitans*, sed cum certa obtinendi spe à DEO postulet: sperare quidquam eum vetans, qui sinè hac minimè dubia spe oret: *Non astimet homo illes quòd quidquam accipiet*: & credendum itè Cassiano, qui disertiori adhuc sermone idem repetit, hanc orandi regulam statuens, *ut pro certo non exaudiendum se supplicans quisque*

non



non dubitet, cum se dubitaverit exaudiri. (Coll. 9. c. 33.) Quamobrem, quod in re non ab-  
simili magnus ille Indiarum Apostolus Fran-  
ciscus Xaverius dicebat, pro eo ut timeam,  
ne DEI auxilio destituar, illud tantum time-  
bo, ne mea id genus trepidatio, & diffi-  
dentia justam DEO causam præbeat, suum  
mihi auxilium negandi. Neque ad me di-  
movendum à firmissima hac confidentia quid-  
quam momenti habent funesta plurimorum  
exempla, quos multis olim annis sanctè,  
ac piè famulatos, in gravia dein delicta, &  
nonnullos in omnem quoque peccandi licen-  
tiam, æternumque exitium corruisse acce-  
pimus. Persuasissimum quippe habeo, ne-  
minem ex iis, si certa, humilique cum fi-  
ducia in peccandi periculis DEO se com-  
mendasset, miserè adeò lapsurum fuisse.  
Sed prolapsi sunt omnes, quod suis viribus  
inaniter freti neglexerint ad supremum mi-  
sericordiarum Patrem confugere; qui ritè  
invocatus secundum sua promissa, ineffabi-  
lèque bonitatem certissimum iis auxilium  
tulisset. Cæterum verissima semper fuit,  
neque unquam non verissima esse perget il-  
la Regii vatis sententia, (Ps. 124.) *Qui con-  
fidunt in Domino, sicut mons Sion: non commo-  
vebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem:*  
nempe, ceu commentatur Bellarminus, om-  
nes, qui verè confidunt in Domino, erunt immo-  
biles, & securi, quacunque tandem ingruat tem-  
pestas, sicut est mons Sion: qui non solum immo-  
bilis



*bilis est, quia mons est, sed quia DEO sacer, & charissimus est.*

10. Video tamen, duo esse, quæ non sinè aliqua veri specie meæ huic differtationi objici possint. Primum est, quod hinc sequi videtur: neminem fervorum DEI fore, cui, quod hæretici jactitant, fide divina non constet, perseveraturum usque ad mortem in illius gratia se esse. Nam neque manifesta suorum actuum experientia dubitare illum finit, qui pluries ejusmodi perseverantiam à DEO supplex petierit; neque fides divina, quin DEUS palàm promiserit, concessurum se omnibus, quidquid à se supplices petant. Unde pronum ei est, per certissimam conclusionem eruere, tam impossibile omnino esse, ut DEUS sibi hoc donum neget, quàm fieri nullo pacto potest, ut divina promissio effectu suo careat. Sed negatur, ex doctrina hinc asserta prædictam certitudinem sequi. Firma enim ad extremum usque spiritum in DEI gratia permansio non unum, & simplex illius donum est, sed continua donorum series ex aliis, atque aliis sibi succedentibus ad vitandum peccatum subsidiis contexta. De quorum præsidiorum unoquoque certissimum est, si à Domino postuletur, concessum nobis ab eo secundum promissionem suam iri. At minimè certi esse possumus de tota quoque illorum serie idem eventurum, ubi hæc, quantaquanta est, semel tantum, vel paucis vicibus ab



eo flagitetur : cùm nulla divinarum literarum pagina extet , ubi DEus universa sua munera largiturum se cuiquam promittat , qui eorum omnium summam unica generali oratione petierint. Imò tam nihil certi habemus de hoc eventu , ut contrarium potiùs opinari cogamur. Etenim , si peculiaris DEI dona non semper primis precibus impetrantur , sed ad illa consequenda necesse est interdum , ut iterum , iterùmque flagitentur , quantò magis necessaria hæc precum iteratio existimari debet , ad eam impetrandam tot sibi succedentium donorum seriem , unde nostra pendet in DEI amicitia usque ad mortem permansio ? Et ratio esse illa eadem videtur , propter quam DEus , etiamsi nostram hujus , vel illius rei indigentiam optimè noverit , adque illi subveniendum per se propensissimus sit , pro conditione nihilominus suæ benignitatis promendæ nostras preces requirit : nempe ut per hanc assiduè ad ipsum confugiendi necessitatem altè in mentibus nostris defigatur , & recens maneat , nostræ ad quidquam boni sinè illo obtinendum impotentia cognitio. Quod minimè usuveniret , si vel absque ullis precibus consequeremur illius munera ; vel ad eorum omnium consecutionem unica nobis , & semel tantùm DEO oblata sufficeret precatio. Cùm igitur perseverantia usque ad mortem , ut observatum est à Cardinali Bellarmino , haud sit



res huiusmodi, quæ uno die peti, & accipi possit, sed quæ quotidie petenda est, ut quotidie detur; (1. 3. de justif. c. 13.) dilucidè apparet, ad eam omni procul dubio impetrandam nequaquam sufficere, quòd pluries petita à DEO fuerit: sed opus esse, ut assiduis etiam deinceps precibus secundùm quotidianas temporum, atque rerum difficultates petatur. Circa quam precandi continuationem è nostri arbitrii libertate suspensam, quemadmodum nulla extat divina promissio, sic neque ulla circa ejus effectum, nostram scilicet in bono perseverantiam, haberi potest certitudo fidei divinæ: sed, sicut semper incertum est, num ejusmodi munus usque ad supremum vitæ exitum perrecturi simus à DEO postulare; ità dubium quoque semper manet, num illud perget nobis in reliquum omne tempus concedere.

11. Certissimum itaque est, DEUM, cùm justas quasque hominum preces exauditum à se iri est pollicitus, suam hanc pollicitationem quàm optima fide esse impleturum; ceu qui, juxta D. Paulum, (2. ad Tim. c. 2.) Fidelis permanet, non potest negare se ipsum: ac propterea extra omne dubium quoque est, si quis pergat quotidie, & in qualibet peccandi occasione perseverantiam ab eo deprecari; fore, ut voti compos evadat, & ad ultimum usque spiritum in gratia illius perseveret. Sed cùm nemo certi quidquam



quam de illa conditione habeat, nemo quoque absolutam habere de hoc eventu certitudinem potest. Atque ita, cum ad perpetuam in divina gratia mansionem duo nobis necessaria sint, alterum ex nostra parte, id est, ut oremus; alterum ex DEI parte, scilicet, ut exaudiamur orantes, neque ullam, nisi de secundo, ipsius promissionem habeamus; sequitur hinc, perseverantiæ nostræ eventum, & quantum ad posteriorem suam conditionem, certissimum esse; respectu tamen prioris, absolutè incertum manere: differentiâ scitè expressâ in iis Christi Domini ad Samaritanam mulierem verbis, (Joan. 4.) *Si scires donum DEI, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Ubi adverbium *forsitan* non conjungitur cum verbo *dedisset*, ad DEum pertinente, ideòque certissimo: sed duntaxat cum verbo *petiisses*, de quo uno, utpote hominis proprio jure ambigi potest. Hic tamen certitudinis absolutæ defectus haud obest, quo minus, qui nihil sollicitiùs, ac suam in DEI amicitia perseverantiam appetit, comperitumque habet, certissimam hujus finis assequendi viam assiduitatem orandi esse; possit ex vivida quadam, & penitùs suo animo impressa divinæ misericordiæ fiducia, immobiliter credere, se adjutum ab ea iri, ut ne unquam à necessaria orandi continuatione, suam per inertiam deficiat, sed ei sedulò insistens, quod inde procul dubio con-



consequitur ad extremum usque spiritum in DEI amicitia perduret. Præsertim verò, si juxta prudens, & salubre Francisci Suarii consilium, quotiescunque orat, liber à peccato hodierna die, & in præsentis illius occasione servari; oret simul, nova ope instrui, ad eandem hanc orationem crastina die pariter, & in futura quavis alia peccandi occasione iterandam. Sic enim duo semper dona conjunctim à DEO postulans; & primi auxilio imminens tunc peccati discrimen evadet; & per impetrationem secundi, certus fieri poterit, ex altero itidem, quod proximè superveniet, discrimine pari se felicitate evasurum incolumem. *Eadem ratione* ( citatus Author suadet ) *non solum orandum est, ut non peccemus, sed ut in oratione perseveremus. Siquidem per unam orationem impetrari potest auxilium ad alteram, & per secundam ad tertiam, & sic consequenter: atque hoc modo per orationem potest impetrari ipsamet perseverantia in orando.* ( Tom. 3. de Grat. l. 12. c. 38. n. 17. & l. 1. de Orat. c. 26. n. 5. )

12. Alterum, quod objici hìc posse dicebam, nonnullæ sunt sacrarum literarum sententiæ ad timendum hortantes: qualis est D. Pauli, ( *ad Philip. 2.* ) *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini: nec non altera illa Regii Prophetæ, ( Ps. 2. ) Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Cum quibus, & aliis similibus locis non apparet,*



paret, quoniam modo conjungi illa possit, quam nos commendamus, intrepida, nihilque hæsitans confidentia, obtinendi procul dubio ab infinita DEI bonitate, quidquid auxiliorum requiritur, ut firmi & constantes ad extremum usque spiritum in illius gratia perseveremus. Sed commodè huc facit responsio, quam Christus Dominus à dilecta sua sponsa Teresia nonnullis reddi voluit, prolato D. Pauli testimonio eam arguentibus, quòd lexus sui immemor, ad novos Parthenones condendos, huc illuc discurreret. (*in Append. ad Relat. vita.*) *Monebis tuos istos Censores, ne ad unam solummodo sacrarum voluminum partem respiciant, sed aliis quoque mentem advertant. Numquid ipsis fas erit, mihi manus vincire?* Ità consultissimus sacrarum literarum interpres, quia unicus quoque Author, & Conditor: suis verbis nos docens, peculiaria earum loca accipienda sæpenumero esse, non juxta materialem, obviùmque purè sensum, quem per se tantùm considerata menti offerunt, sed juxta potiorè significatum, quem cum aliis divinis oraculis composita induunt. Et verò, quod ad præsentem controversiam spectat, tantùm abest, securam, & immobilem divinæ opis fiduciam ulla posse sacrarum literarum authoritate impugnari; ut in quavis contrà harum parte honorificentissimis eam verbis, & quàm amplissimis testificationibus commendatam videamus. Commendat eam



sanctus David beatos appellans, quicumque ipsi innitantur: (*Pf. 2.*) *Beati omnes, qui confidunt in Domino*: promittensque divina eisdem misericordia, non secus, ac inexpugnabili quodam aggere undique communitum iri. (*Pf. 31.*) *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Commendat sapientissimus Salomon, volens, totum eâ repleti hominis cor, (*Prov. 3.*) *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Commendat Doctor Gentium tum Romanis, optans eos ipsâ abundare. (*c. 15.*) *DEus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in spiritum Philippensibus, exhortando illos, ut, posteaquam in angustiis, dubiisque suis rebus ad DEI opem confugerint, sub paterna ipsius providentia omnino securi quiescant:* (*c. 4.*) *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud DEum: & pax DEI, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Commendat postremo (ne in materia tam uberi justo longior, ac penè infinitus sim) Apostolorum Princeps Petrus ex amantissima, & perpetua cura, quam summus Pater coelestis de rebus nostris omnibus gerit, non aliam debere esse nobis sollicitudinem, arguens, quam ne ulla rerum nostrarum sollicitudine ipso uno freti urgeamur: (*Ep. 1. c. 5.*) *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quamobrem, etsi nulla



ue  
on-  
os-  
ig-  
am  
or-  
us  
ni-  
mo  
en-  
in-  
m-  
de  
it,  
re-  
na  
it:  
ne,  
nes  
ua  
a,  
e-  
or,  
n-  
u-  
us  
re  
m  
fo  
em  
o-  
ti  
lla

nulla occurreret ratio, adducendi in concordiam hæc sacrarum paginarum loca, imobilem divinæ opis fiduciam prolixè adeò commendantia, cum aliis suprâ allatis, quæ contraria esse eidem prima specie videntur; quidvis tamen aliud existimandum potiùs nobis esset, quàm ut altera alteris revera adversari suspicaremur.

13. Sed facilis, & ad manum est modus prædictæ inter illa concordia, si duo animadvertantur, nimiùm quantum inter se diversa principia, unde tota pendet nostræ perseverantiæ, & salutis summa: alterum, cui nihil oportet fidere, quòdque primi generis loca respiciunt, nimirum nos ipsi: alterum, de quo nil timere fas est, & cui posteriora conveniunt, scilicet DEus. Observatis siquidem contrariorum effectuum causis, quas hinc unum eorum, indè verò alterum nobis suppeditat, nemini obscurum relinquitur, extremo timori obnoxios, summæque itèr confidentiæ capaces nos esse: cùm & nostram imbecillitatem reputantes palàm videamus, nil indè expectandum nobis esse, nisi offensiones, lapsus, ruinas; & divinam ex adverso intuentes bonitatem, ac potentiam, certi esse possimus, nunquam fore, ut ea desinat nobis præsens adesse, nisi nos destiterimus opem illius sedulò implorare: quantumque ex prima illa consideratione haurimus diffidentia, & formidinis: tantùm ex hac al-



tera alacritatis percipiamus, & spei, similes puero è patris sui manibus supra medium immanis putei os, vel extra sublimem fenestram pendenti: qui licèt certissimè sciat, nullo modo se posse suis viribus ità in sublimi, vel ad temporis punctum perstare, sed, si à patre dimittatur, omni procul dubio in præceps lapsurum; nihilo tamen minus cum hac suæ ad subsistendum impotentiz evidenti notitia parem simul non cadendi securitatem conjungeret, pro re scilicet omnino incredibile habens, fore, ut pater tam præsentis in discrimine sustentare se omittat: & proinde se ipsum duntaxat respiciens actum penitè de salute sua crederet, totisque artibus contremisceret: sed patris contra memor in tuto se positum, extraque omnem periculi aleam putaret. Utque hæc distinctio plus adhuc firmamenti, & claritatis accipiat; quosnam, rogo, Apostolus monet, ut *salutem suam cum timore, & tremore operentur?* Nempe illos ipsos Philipenses, quibus in eadè Epistola præcipit, continua in hilaritate, extraque omnem sollicitudinem vivere: *Semper gaudete: nihil solliciti sitis.* Atqui tremor ex metu oritur, non qualicumque, sed anxio, & vehementi, qui cum animi tranquillitate, atque gaudio simul nequeat componi. Quapropter, nisi tam eximium gentium Doctorem inconstantiæ, & contradictionis in loquendo arguendum putamus; ità accipere ejus verba debemus



bemus, ut vel suos illos alumnos ad maximum quidem propriæ infirmitatis respectu timorem, sed ad parem simul ex firmissima divinæ opis fiducia hilaritatem hortetur; vel timoris, ac tremoris nomine solertem, & qualis adhiberi ab anxie metuentibus solet, in æternæ salutis tum periculis declinandis, tum auxiliis providendis, diligentiam intelligat. Neque secus dicendum de altera item illa Davidis sententia: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Nam simili pacto ibi quoque duo conjungerentur secum invicem pugnancia, *exultare* nimirum, quod à vivida, exuberantique lætitia provenit; & *tremere*, quod validæ est, ac sensibilis formidinis proprium; nisi hoc secundum acciperetur, vel juxta sensum, quem in D. Pauli verbis modò ipsi attribuimus; vel pro alta, & humili quadam erga infinitam DEI Majestatem reverentia.

14. Sic ergo discussis, quæ doctrinæ hujus capitis videbantur obstare; duas ex ea colligendas, & coronidis quasi locò illi addendas propositiones existimo. Prima esto: quamvis certi omnino esse nequeamus, continuatum à nobis usque ad mortem iri eam divinæ opis implorationem, quæ ad stabilem in divina gratia perseverantiam procul dubio obtinendam requiritur; si quis tamen ex hominibus sanctiori vitæ deditis ineffabilem DEI erga nos charitatem, & beneficentiam altè impressam animo habeat, se-



cūmque ruminari, ac recogitare identidem pergat; posse hunc sibi facillimè hilari quadam, & nihil hæsitante fiducia promittere, suum illum benignissimum Patrem, ceu præfens desiderium permanendi usque ad extremum vitæ diem in illius amicitia suo animo infudit; sic minimè destitutum novis se auxiliis ad orandi perseverantiam, qua desiderii illius finis procul dubio obtinetur, juvare: adeò ut quàm firmissimè persuasum id habeat, neque absoluta contrarii possibilitate suam hanc confidentiam labefactari, aut imminui unquam sinat: sed immobilis persistet in securitate saltè practica, & negativa præsentis nimirum formidinis penitus vacua; qualis est illa, cum qua solet in conclavi suo degere, nunquam animo reputans, posse illius tectum præcipiti lapsu in caput suum ruere, neque de tali possibilitate magis anxius, & plus sollicitudinis capiens, quàm si divinitus revelatum ei esset, nunquam fore, ut is lacunaris lapsus contingat. Nec de primæ hujus propositionis veritate dubitare nos finit allatum paulò antè exemplum filioli, quem Pater libero in aère sua è dextera suspensum teneret. Si enim pusioni illi facillimum foret, ità patri confidere, ut nunquam se ab eo destitutum iri pro certissimo haberet, neque minùs tutum se à lapsu putaret, ex illius ità manibus pendens, quàm si in solida humo pedibus inniteretur; quidni etiam cuilibet cognitum



tum probè habenti, quàm longò intervallò DEI erga homines charitas omnem patrum terrenorum erga liberos charitatem excedat, perfacile futurum sit, eadem cum securitate, & fiducia in cœlestis illius Patris manibus conquiescere? Aut quæ unquam sese illi offerret justè metuendi, imò vel leviter suspicandi causa, ne ab eo permittatur aliquando in teterrimum, & ipsomet orco horribilius inimiciæ suæ baratrum ruere? Num quia tam multos mortalium funestè in præcepis labi permittit? Sed sanè vel Regius vates falsis nos promissionibus ludificatur, affirmans universè de DEO, (*Pf. 17. & 33.*) *Protector est omnium sperantium in se: & non delinquent omnes, qui sperant in eo;* vel tota in illa multitudine nè unum quidem reperire erit, qui indubitanter confidens DEI ope sustentatum se iri desertus ab eo, permissusque sit ruere. Quapropter, cum nemo, nisi ex divinæ fiducia defectu labatur; lapsorum exempla nullam hujus in nobis debilitandæ vim habent, ut ad eam potius majori cum âlacritate concipiendam incitare nos debeant.

15. Altera ex indicatis propositionibus sit: quandoquidem pronum factu esse vidimus, ut, quisquis genuinam infinitæ DEI bonitatis speciem mente concepit; certum ab eo sibi adjutorium in rebus ad perseverantiam necessariis promittat, debore unumquemque conari, ut quàm maximè firmam,



inconcussam, & nunquam titubantem concipiat illius adjutorii obtinendi fiduciam. Idque ob eximias utilitates, quas hæc confidentia tum nostri, tum DEI causâ in animis parit. Nam re primitus secundum nos æstimata communis vitæ usus apertissimè ostendit, ità comparatum à natura hominem esse, ut, quantò certius negotium aliquod sibi prosperè eventurum confidit, tantò illud & alacriùs suscipiat, & majori cum sedulitate, atque constantia prosequatur: imò etiam non rarò contingere, ut vel temerè exorta læti successûs persuasio aucto in nobis animorum vigore, & operandi conatu assequi revera nos faciat, quod falsò præsumpsimus: ceu Romanis accidisse Livius testatur, adversum Völfcos pugnantibus, qui ancipiti etiamnum prælii fortuna superiores ob vanam nescio quam speciem se rati; *impetu facto, dum se putant vincere, vicere.* (l. 2.) Quamobrem & D. Thomas docet, proprium spei esse, ut efficaciorum in agendo hominem reddat, (1. 2. *quæst.* 40. a. 8.) *Spes per se habet, quòd adjuvat operationem; intendendo ipsam; & prudentes confessarii, quò pœnitentium quispiam imbecille adhuc virtutis validius in suo animo decretum concipiat, abstinendi in futurum à consuetis flagitiis, id imprimis conantur efficere, ut rem sibi adjuvante DEO successuram, seque illa deinceps omnino vitaturum, quàm firmissimè fieri*



fieri potest, confidat. Sed multò adhuc majorem pariendæ utilitatis vim hæc eadem confidentia ex DEO habet: qui, ut nihil aliud quàm ipsamet pura bonitas est, nullaque re magis, quàm suimet, ac suorum munerum profusione delectatur: sic optat inprimis, ut hoc tam eximium divinæ naturæ suæ decus intimè cognitum, certissimèque persuasum habeamus, nihil dubitantes, quæcunque nos necessitas urserit, perbenignè vota nostra auditurus sit, & præsens in tempore auxilium rebus fessis laturus. Quod de illo iudicium quisquis penitè, immobilitèrque defixum in animo gerat, adeò ipsum demeretur, & sibi quodammodo obstringit, ut, ceu suprà demonstravimus, in nulla rerum difficultate desereri, nulliusque petitionis suæ effectu fraudari ab eo queat. Ac proinde, quoad ità sentire, & talia sibi polliceri de illo perget, sentiet eum procul dubio quibuscunque in peccandi periculis præsentissimum defensorem, & vindicem. Qualem planè ipsemet se futurum recepit, in iis Psalmi nonagesimi verbis: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Quocirca, quantum nobis cordi est, stabiles in DEI gratia usque ad mortem durare, tantum etiam curæ esse debet, ut exaggeratissimam de infinita illius bonitate opinionem, quæque hinc consequitur, intrepidam, & securam



paratæ ad omnes nostros usus ejusdem opis fiduciam tueri continenter pergamus. Neque sanè ego video, cujus prudentiæ, consiliique sit, dubitationes, ac formidines, fiduciæ huic contrarias fovere, quidve emolumentum expectari ab his queat, quod commemorati illius fructus non longissimè excedant.

16. Reliquum esset, ut ceu anxias in DEI famulis sollicitudines tum de præsentibus cum eo amicitia, tum de futura porro ejusdem perseverantia jam retudimus; sic eas quoque retunderemus, quæ circa æternæ salutis consecutionem ab exiguo Electorum numero ab illius obtinendæ difficultatibus, ab occultis DEI judiciis, & ab impenetrabili divinæ seu prædestinationis, seu reprobationis arcano oriuntur. Sed profectò, si ad sempiternam salutem nihil aliud requiritur, præterquam in divinæ gratiæ possessione usque ad mortem permanere, anxiam de hujusmodi conditione formidinem abigendo, eandem circa illum quoque finem abegisse videri possumus. Memoratas itaque de illo timendi causas singillatim in medium revocans, dico quantum ad primam, si pauci æternam consequuntur salutem, indè id proficisci, quia pauci curæ habent crebris à DEO precibus opportuna ad perseverandum in ejus gratia subsidia flagitare, cum spe minimè dubia illa obtinendi: quod si omnes facerent,

rent,



rent, dubitari nullo modo potest, quin omnes itidem in divina gratia ad extremum usque spiritum perseverarent, æternamque consequerentur salutem. Quapropter, si nemo peccat, & perit, qui certam ejusmodi in divina bonitate fiduciam usque ad mortem retinet; peccantium, & reproborum multitudo illius studium, & curam confirmare potiùs, quàm minuere in nostris animis debet: quemadmodum, quod pestiferæ luis tempore omnes ab ea corripere videamus, qui certo quopiam antidoti genere uti negligunt; haud quaquam incitare nos solet, ut illud nos quoque negligamus, sed potiùs, ut majori cum diligentia usurpemus. *Domine, si pauci sunt, qui salvantur*, nescio, quis ex DEI filio quæsierat: cui ipse, & omnibus simul, qui aderant, digna tanto Magistro responsione subjecit (*Luc. 13.*) *Contendite intrare per angustam portam*: quasi innuens hisce verbis, parùm nostra interesse curiositatem sciendi, multine, an pauci sempiternam salutem obtineant, sed illud unicuique curandum, quod plurimi, summique momenti est, ut nimirum, quæ ad eam obtinendam necessaria sunt, ritè exequatur.

17. Similia respondere possem alteri timendi causæ, quæ ex difficultatibus in salutis itinere occurrere solitis ducitur: eas videlicet, quæcunque sint, & divina ope superari posse, & à quolibet, opem hanc

im-



immobili cum fiducia implorante, certissime superari. Unde verbum divinum, cum pronuntiasset, facilius esse camelo per foramen acus transire, quam diviti intrare in regnum ccelorum, & Apostoli, hoc audito, mirarentur valde, dicentes: quis ergo poterit salvus esse? (Matth. 19.) subiecit. Apud homines hoc impossibile est: apud DEum vero omnia possibilia sunt. Cæterum adeò mihi falsum videtur, conditiones ad æternam salutem consequendam necessarias posse cuiquam nimix arduitas causâ terrori esse; ut prorsus non videam, quasnam alias suaviores seu divina providentia nobis statuere, seu nostra imbecillitas desiderare ab ea posset: cum aliæ demum non sint, quàm ut admissa à se crimina homo detestetur, & Sacerdoti DEI Ministro secreta confessione aperiat: conditiones profectò adeò impleri faciles, ut, si humana justitia nihil præter illas à suarum legum violatoribus exigeret; vacua omnino remanerent fontium ergastula: & prodigii instar videretur, si horum vel unus potens tantulo impendio laquei, aut compedum pœnam evadere, non dico, recusaret illas exequi, sed vel duras existimaret, ægròque animo, & cunctanter admitteret.

18. Quod porrò ad iudiciorum DEI altitudinem spectat, respondeo, occulta illa utique esse, ac mentibus nostris impervia; sed omnia nihilominus à summa bonitate dirigi,



rigi, & huic omnino congruere. Quod satis est, ut quivis DEI servus ea intueatur tanquam objecta, delectando potius, quam terrendo suo animo idonea: Davidis exemplo, qui in Psalmo 118. jam ea vocat delectabilia, *quia judicia tua jucunda*; jam suam in iis spem constituit, *quia in judiciis tuis superaveravi*, jam eorum memoriam solatio sibi fuisse profitetur: *memor sui judiciorum tuorum à saculo Domine, & consolatus sum*: exemploque itè B. Angelæ Fulginatis: (*in vita vis. 5.*) quæ, cùm in cœlesti extraordinario lumine ostensam sibi aliquando divinorum judiciorum bonitatem perspexisset; tantùm indè securitatis, & quietis se animo hausisse testatur, ut non minori cum confidentia, & hilaritate DEO se per sua judicia, quàm per suam mortem, suumque sanguinem commendaret.

19. At quid de prædestinatione dicemus? Quonam pacto (subjiciet hìc quispiam) sine metu esse mihi liceat, cùm ignorem, electorumne, an reproborum in numero sim? Quidve, si ad posteriorem classem fors pertinerem, ad DEUM confugere, illiusque in misericordia sperare mihi prodesset? Næ, quidquid tunc agerem, conclamata æternùm, atque omnino foret mea salus. Talia opponenti dico primùm, posse ipsum, quanquam nihil omnino certi, & explorati de hoc habeat, firma, & hilari cum fiducia meliorem sibi sortem promittere. Cùm enim

enim



enim nequeat non esse prædestinatus ad æternam felicitatē, qui usque ad mortē in amicitia Dei perseverat, ceu justas habet causas Dei servus, firmiter confidendi, se perseveraturū usque ad mortē in Dei amicitia; sic eandē habere confidentiā potest de suaprædestinatione ad vitam, & felicitatem æternam. Dico secundo ineptam esse, quæque secum pugnet, eam propositionem, si ad reproborum classē pertinet, quantumcunque DEO me commendem, illiusque in misericordia confidam, æternū peribo: non aliter atque inepta, & secum pugnans foret hæc altera, si ad reproborum classē pertineo, quamvis ad extremum usque spiritum in DEI gratia perseverem, æternū peribo. Cū impossibile sit, vel ex reproborum numero esse, qui ad extremum usque spiritum in gratia DEI perseverat, vel in hac non tam diu perseverare, qui pergit usque ad mortem DEI opem assiduè implorare, illiusque in bonitate, & misericordia confidere. Quemadmodum igitur perversè quispiam concluderet: si reprobus sum, nihil mihi proderit divinæ gratiæ compotem mori; vel, si divinæ gratiæ compos moriar, nihil mihi reprobum esse oberit; sed concludendum potius ei esset: si sum reprobus, nullo pacto continget, ut divinæ gratiæ compos moriar; & si talis moriar, fieri non potest, ut reprobus sim: simili ratione præpostera esset hæc conclusio: si reprobus sum, nihil mihi proderit in divinæ opis imploratione, &



& fiducia usque ad mortem perstare : vel contrà, si usque ad mortem in divinæ opis imploratione, & fiducia perstitero, nihil mihi esse reprobum oberit : sed solum fas est hoc alio modo concludere : si reprobus sum, non pergam usque ad mortem DEum invocare, illiusque in bonitate confidere : & si contrà pergam usque ad mortem id agere, fieri nequit, ut reprobus sim.

20. En itaque, ubinam tota præsentis rei summa consistat, quóque possit modo quilibet DEI famulus satis confidere, in divina se gratia usque ad mortem mansurum, ac proinde in electorum albo esse conscriptum. Ne omittat pluries diebus singulis DEum obsecrare, ut efficaci ope se adjuvet ad superandas inferni hostis tentationes, ad declinandas, quoad fieri potest, occasiones peccati, ad ipsum in quibuslibet spiritualis vitæ periculis ritè invocandum, & ad omnia summam præstanda, quæ necessaria homini sunt, ut toto vitæ suæ tempore in gratia illius perseveret, pro certissimo habens, a summa illius bonitate procul dubio exauditum se iri : iteret, dico, pluries quotidie, sed præcipuè in peccandi periculis orationem prædictam : caveátque, quantum potest, vel minimum formidinis, & dubitationis admittere, quin ejus effectum impetraturus à DEO sit. Nam, cum tantam oratio divina dona impetrandi vim habere soleat, quanta cum impetrationis fiducia DEO offertur; quò minus de hac dubitabit,



eò minorem de eadem dubitandi causam habebit : & certa , quam in se experietur , circa illam persuasio novam ipsi ejusdem persuasionis adhuc firmiter concipiendæ rationem adjiciet. Neque reponat , haudquam se ambigere , utrùm prædicta ejus oratio exaudienda à DEO sit , cùm certissimam de hujusmodi eventu promissionem DEI habeat ; sed utrùm orationem illam continuaturus sit , quanta opus est cum assiduitate , & fiducia ; qua de re nihil certi pignoris tenet. Ne , inquam , id reponat : cùm enim ex dictis superius plenissimè constet : nullo fieri modo posse , ut in rebus ad salutem necessariis divina ope destituatur , qui eam sibi adfuturam procul dubio confidit ; quidni facillimum ei sit , infinitam DEI bonitatem , & plus quàm paternum erga homines amorem intra se reputanti , nihilo indubitanter minùs confidere , quidquid ad perseverantiam , & salutem necessariò requiritur , præstandum ab eo sibi esse , quàm id sese accepturum à mortali suo genitore consideret ? Aut quidni concepta jam in animo hac fiducia secum ratiocinari ità possit : si ego usque ad mortem perrexero , de DEO hunc in modum confidere ; quæcunque ad perseverantiam , & salutem necessariò requiruntur præsidia , omni procul dubio ab illius bonitate obtinebo. Sed nulla mihi adest justè dubitandi ratio , quin præsentem de ipso fiduciam ipsius auxilio retenturus

usque



ad mortem sim ; cùm ea & ipsi quàm gratissima sit , & validissimas habeat , cur perpetuò retineatur , qualis concepta primò fuit , causas. Ergo bonitate illius fretus possum indubitanter sperare , me in illa , & per illam in DEI gratia usque ad mortem mansurum.

21. Vivamus , eja , vivamus hilari , tranquillòque animo sub fidissima cælestis nostri Patris defensione , & tutela , *omnem sollicitudinem nostram projicientes in eum , quoniam ipsi cura est de nobis* : nullusque in cordibus nostris alius sit timor , quàm ne unquam de paterna illius ope in gravissimo æternæ salutis negotio nobis defutura timeamus. Cùm enim de nullo ille divinorum suorum decorum magis , quàm de bonitate , & misericordia gloriatur ; id genus timores , tanquam huic prorsus contrarios , iniquissimo animo fert : causamque inde sumit alienandi se ab hominibus , qui de illa tam perperam sentiunt : ceu palàm testatur eà ipsius contra Israëlitas , minùs sibi in deserto fidentes , indignabunda exclamatio : (*Numer. c. 14.*) *Usquequo detrahet mihi populus iste ?* Cùm ex adverso certa , & nil dubitans de beneficentissima ipsius erga nos voluntate persuasio eum quodammodo cogat , talem se nobis exhibere , qualem ipsi mente concepimus , dicendo unicuique , quod apud D. Matthæum centurioni (*c. 8.*) *Sicut credidisti, fiat tibi.* Felix enimverò , &



centies, iterumque centies felix, qui iustissimam hanc de ineffabili cælestis Patris misericordia fiduciam altissimè impressam in animo gerit, nec ullis, ut in ea unquam titubet, adduci contrariis rationibus potest, sed firmam penitusque immobilem ad extremum usque spiritum servat. Ego sanè nullis aliis argumentis indigeo, ut ipsum è prædestinatorum numero credam: adeoque de illius æterna salute nil dubito, ut meammet animam pro ea vadem offerre paratissimus forem. O! benignissime DEUS! propriissimo nomine, *DEUS spei*, (*Ad Rom. 15.*) à tuo Apostolo dicte, *propter temet ipsum DEUS meus*, (*Daniel. c. 9*) per infinitam nempe illam bonitatem, quæ tota essentia tua est, largire mihi obsecro, hoc præstantissimum donum, quod cæterorum quorumvis tuorum donorum quasi alveus, & clavis est, ut dignè nimirum de te sentiam; ut te, tanquam purum amorem, & puram bonitatem mente concipiam; ut meam sempiternam salutem securius à te expectem; quàm à terreno meo patre, si eius ipsius arbitrio penderet, vel à quocunque alio inter mortales boni mei cupidissimo expectarem: utque me totum in paternas tuas manus projiciam, ibi omnem meam collocans spem, ibi semper tanquam in securitatis asylo vivens, ibi sinè ulla trepidatione, & formidine perpetuò quiescens. (*Mat. 9.*) *Credo Domine: adjuva incredulitatem meam.*  
(*Esther.*



(*Esther c. 14.*) *Da mihi fiduciam, Domine Rex Deorum. (Ps. 4.) In pace, in id ipsum dormiam, & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. (Bern. serm. 6. in fest. om. sanct.) Singulariter, inquam, in spe: non jam inter spem, & timorem, ubi prius, non sine solitudine, & anxietate plurima fluctuabam.*

## CAPUT V.

*Diluuntur nonnullæ objectiones contra eam, quam hucusque asseruimus, divini amoris hilaritatem, & fiduciam, ex DEI reverentia, ac timore, criminumque admissorum memoria  
petita.*

**D**Ocet D. Thomas, (2. 2. q. 183. a. 2.) Quemadmodum perfectio, quæ in DEO est unica, & simplex, reperiri in rebus creatis nequit, nisi particulatim divisa; sic sanctitatem, quæ in Christo simul tota colligitur, ab eo, quasi capite Ecclesiæ, per diversas, & peculiare derivationes in electos, veluti in membra diffundi, secundum hanc scilicet partem in unum, & secundum alias in alios. Qui tamen, etiamsi inter se differentes unum omnes corpus constituent, eodemque spiritu animantur: juxta illud Apostoli effatum, (1. Ad Cor. 6. 7.) *Unusquisque proprium donum habet ex DEO, alius quidem sic, alius verò sic. Hæc omnia autem*



operatur unus , atque idem spiritus , dividens singulis , prout vult. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus , omnia autem membra non eundem actum habent ; ita multi unum corpus sumus in Christo. Atque ex hac in DEI famulis caelestium donorum , & instinctuum diversitate evenit ; ut , cum aliud alij pie vivendi iter ineant , prout à divino spiritu huc , vel illuc aguntur ; proprium quemdam Ecclesia in singulis confessorum Pontificum sanctitatis characterem agnoscat , de unoquoque eorum pronuntians : *Non est inventus similis illi.* Quod , quamvis & divinae gratiae ad diversa aliorum , aliorumque ingenia se accomodantis suavitati conveniat , & ad majorem Ecclesiae pulchritudinem faciat , cuius inde corpus tantò plus symmetriae , & concinnitatis praefert , quantò ex partibus magis variis componitur ; non minimum tamen perturbationis excitare in quibusdam spiritualis vitae tironibus solet. Cum enim tam multos diversis à suo tramitibus contendere ad perfectionem videant ; vel dubitare incipiunt , rectusne ille sit , quem sibi delegerunt , vel non contenti illum probare , ceteros omnes pravitatis condemnant : nequaquam audientes Apostolum : qui & ad primi erroris correctionem praecipit , ( tanquam rem ubique inculcari à se solitam , sicut in omnibus Ecclesiis doceo ) unumquemque , sicut DEUS vocavit , ita ambulare ; ( Ad Cor. 1. c. 7. ) & posteriori occursurus commendat ,  
ut



ut is , qui manducat , non manducantem non  
 spernat ; & qui non manducat , manducantem  
 non iudicet. *Unusquisque in suo sensu abundet.*  
 ( *Ad Rom. 14.* ) Addens , eum , qui secus  
 faxit , similiter delirare , ac si membrum ali-  
 quod corporis seu inquietaretur , quòd cæ-  
 terorum actus minimè exerceat ; seu cæte-  
 ra , quòd suis actibus non fungantur , de-  
 spiceret. Jam verò , sicut de aliis spiritua-  
 lis vitæ institutis diversi sunt diversorum ho-  
 minum sensus , nonnullis exempli gratiâ ad  
 rigorem , & nonnullis ad lenitatem propen-  
 dentibus : his contemplativam , illis acti-  
 vam præhabentibus vitam ; & aliis solitudi-  
 nem , aliis verò spirituales proximorum cul-  
 turam potiore ducentibus ; sic in re , de qua  
 disputamus , non una omnium est opinio ,  
 & sententia : sed non pauci facilè erunt ,  
 qui , cùm per meros sanctæ mœstitiæ , pa-  
 vidæque humilitatis affectus DEO servire  
 instituerint , haut satis habeant , suis hisce  
 piis studiis ipsi vacare ; sed familiarem alio-  
 rum cum DEO consuetudinem improban-  
 dam putent , vitiòque , & crimini vertant.  
 Quorum objectiones , etiamsi perpensis cau-  
 tionibus , quas illi confidentiæ , & familia-  
 ritati superiùs nos adjecimus , permovere  
 prudentum virorum animos nequeant ; ni-  
 hilominus , quo & nonnullarum hac in ma-  
 teria locutionum ambiguitas distinguatur ,  
 & illæ ipsæ cautiones uberiùs declarentur ;



libet eas hîc in medium afferre, & proprio unamquamque responso diluere.

2. Primò itaque objicitur, familiarem cum DEO necessitudinem parùm consentaneam infinitæ illius excellentiæ, nostræque vilitatis cognitioni videri. Hæc enim duo quisquis ritè intelligat, præque oculis habeat, fieri minimè poterit, ut coram DEO aliter, quàm tremebundus, & vultu terræ appresso consistat, indignum omnino existimans, qui coram tanto Domino vel mutire, nedum familiariter, & filii ritu conversari audeat. Nam, si terrenum quempiam Regem allocuturi, illius, esto humanæ duntaxat magnitudinis respectu ità sæpe confundimur, ut spiritus penè nos deficiat, & vix pauca singultim verba nos promere sinat; quantò plus terroris, ac perturbationis ab infinita supremi Regum Regis, Dominique Dominantium Majestate in nobis excitari æquum sit? Sed, qui hunc in modum differit, DEum utique contemplari deberet, non qualis solummodo naturâ suâ est, nempe ut creatæ totius universitatis Creatorem, ac Dominum; sed qualis etiam gratuita, & ineffabili benignitate esse voluit, nempe ut nostrum amicum, & Patrem. Hoc enim pacto illum intuens, perquam facilè agnoscet, posse nos salvâ prorsus reverentiâ, quam prior illius titulus exigit, familiaritate uti, quam permittit posterior. Huic ergo distinctioni inhærens, fateor, igna-  
rum



rum omnino infinitæ DEI magnitudinis, debitæque tanto Principi à nobis reverentiæ futurum, qui nullo invitante, sed solis privati sui arbitrij, suorumque meritorum auspiciis, quantulamcunque familiariter cum eo agendi auctoritatem sibi usurparet. Nego tamen, hujusmodi notam mereri, qui, cum suam cæteroqui indignitatem agnoscat, & palàm profiteatur; sic tamen conversari cum cælesti suo Domino audet, benignissimis illius invitamentis provocatus, & spiritali fructu illectus, quem indè relaturum se sperat. Quemadmodum etiam nemo dici temerarius meretur, quia post institutum à Christo Domino Evcharistiæ Sacramentum eum ibi reverà præsentem intra ipsum os sumere, & cibi instar deglutire nullo metuat. Quo familiaritatis inter mortales amicos nunquam auditæ, si per se ipsum, suoque duntaxat arbitratu progredieretur, nemo esset, quin eum intolerabilis arrogantia, impudentiæque damnaret.

3. Utque id clariùs perspiciatur, fingamus, à potentissimo quopiam Rege tenuis fortunæ puellam in thalami sui consortium assumi, veluti Esther ab Assuero fuisse olim assumpta in sacris literis legitur. Quæro, num illa tam sublimi connubio dignata erga Regem maritum meram famulæ submissionem, an proprios itidem sponsæ affectus, & mores debeat præferre? Omnes certè respondebunt, par quidem esse, ut



talis puella perpetuam nativæ suæ humilitatis apud se memoriam retineat, uniusque Regis benignitati novam suam conditionem acceptam referat, nunquam audens illi parem se credere: sed non ideo etiam convenire, ut nunquam erga ipsum eos promat amoris intimi, & familiaris actus, qui ad recentem statum suum pertinent. Imò tantum id à vero abest, ut, si illa tali pacto se gereret, nunquam ad mariti faciem oculos tollens, neque cum eo, nisi tremebunda, colloqui audens; haud quaquam hic sanè pavidam, submissamque id genus consuetudinem ferre posset: sed cum stomacho ei diceret, ego sponsam mihi te ascivi, ut talis re ipsa esses. Si vellem, ut famulæ ritu mecum ageres, in eo, quem fortita nascendo es, humili, abjectoque statu te reliquisssem. Atqui talis omnino res nostra est, maximus universitatis totius dominator ex miro quodam gratuita benignitatis suæ impulsu animas nostras elegit sibi in sponsas. (*Os. 2.*) *Sponsabo te mihi in sempiternum*: in amicas, (*Joa. 15.*) *Vos autem dixi amicos*: in filias, (*2. ad Cor. 6.*) *Ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias*, dicit Dominus omnipotens. Quid ergo faciendum homini est tam prodigialiter amato, & supra se evecto? Admirari profectò debet eximiam Conditoris sui bonitatem, indignissimum se illa profiteri, quæ par est, interiori veneratione caelestem ami-  
 mi



micum, & parentem prosequi, summâque diligentia cavere, ne quid faciat, vel dicat, unde offendi is possit. Sed cur, quælo, unâ cum hujusmodi affectibus nativæ conditionis suæ propriis non eos quoque debet conjungere, quos nova supernaturalis dignitas suggerit? Debet profectò, si quid sanctis Bernardo, & Petro Chrysologo credimus. Quorum prior itâ esse nos humiles vult, ut nostræ vilitatis cognitio divinæ bonitatis sensum in nobis non opprimat, ut hæc illius verba testantur, (*Serm. 11. in Cant.*) *Et vos igitur, si de vobis in humilitate sentitis, sentite etiam de DEO in bonitate.* Alter verò, DEI benignitatem admirans injubendo, ut orantes Patrem se nuncuparemus: *Accedamus, inquit, filioli, quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio. DEum Patrem viscera sentiant, vox personet, spiritus clamet: & totum, quod est in nobis, respondeat gratiæ, non timori. Quia, qui judicem mutavit in Patrem, amari voluit, non timeri. Ipse jubet dicere, ut dignatio donantis sit, non temeritas presumentis.* (*Serm. 61. & 69.*)

4. Dicat ergo intra se vir spiritualis, ego longissimè ab eo absûm, ut merear vel servus DEI esse, nedum amicus, & filius. Sed, quoniam pro sua ille incomparabili bonitate dignatus est, me in amicum, & filium cooptare, gaudetque, ut talem me geram, & sine ulla servili trepidatione familiariter secum agam, cur tam eximiis il-



lius muneribus nuntium remittam? Humilitatisne studio? At huic plenè satisfacit, qui divina liberalitate indignum se existimat: qualem ego nihilominus me existimo, quàm si illius me usu, & fructu abdicarem. Quandoquidem igitur neque justa suppetit ratio, quæ ad illius repudium impellat; & spiritualis utilitas, quam indè percipio, suadet eam ultro oblatam admittere; humiliter quidem, sed gratus, liberèque simul ea utar: accedens filii more ad supremum illum Dominum qui ex infimæ notæ mancipio talem sibi esse me voluit, cùmque eo, quasi cum Patre indulgentissimo agens. *Est enim stultitia* (ceu aliam in rem à Dionysio Syracusano pronuntiatum est) *à quo bona precemur; ab eo porrigente nolle sumere.* (Cic. L. 3. de Nat. Deor.) Atque hoc pacto in quotidiana cum DEO consuetudine temperari invicem reverentia, & familiaritas quoterunt: adeò ut & illa confidens & hæc humilis sit, nec aut prior alterius jucunditatem minuatur; aut altera prioris æquitati officiat: sed, quisquis conversatur cum DEO, eum summi instar Domini, & fidissimi simul amici respiciat: duo illa in se copulans diversa cognomina, quibus in Alexandri Macedonis Regia distinguebantur Ephestion, & Craterus: ille scilicet tanquam Alexandri, hic verò, tanquam Regis amicus. (*Plut. in Alex.*)



5. Neque aliam profectò dicendum est rationem fuisse, qua cum DEO filio maxima Virgo illius Parens agebat. Quamvis nempe illum immensò intervallò superiorem se agnosceret, & quanta nemo alius mortalium veneratione prosequeretur; non tamen propterea omittebat matris ritus, atque jura usurpare, amplectendo, suaviano, deque illo etiam amicè interdum ex-  
postulando, ( Luc. 2. ) *Fili, quid fecisti nobis sic?* Neque dicas, alios esse agendi mores, qui matri, & alios, qui servis conveniant. Quantacunque enim foret Deiparæ inter reliquos mortales universos præstantia; infinitè tamen, hoc est nihilo pene, quàm nos minùs à suo divino filio excedebatur, multoque, quàm nos clariùs, ac penitiùs suam præ illo abjectionem compertam habebat. Quare, si tota hæc cognitio, & summa indè proveniens reverentia nequaquam impedimento illi fuit, quominùs materna erga filium confidentiâ, & familiaritate uteretur; neque ulla itèm divinæ magnitudinis, nostræque præ illa humilitatis consideratio aditum nobis præcludet, jucundè fidentèrque conversandi cum DEO, tanquam cum amantissimo Patre: sed salvâ reverentiâ, & submissione ipsi debitâ, filiorum more alloqui, eique adstare poterimus: non aliam habentes confidentiæ hujus causam, nisi beneficentissimam voluntatem, qua in liberorum sortem, & jura adoptati  
su-



sumus : quemadmodum non alia DEI paræ Virgini maternæ authoritatis , & familiaris cum divino suo filio consuetudinis ratio erat, nisi gratuita , & singularis electio , qua eam ipse genitricem sibi esse voluerat. In summa , uti temeritatis , superbiæque esset, si palustris stagni humor naturalem suum locum dedignans , conaretur sua sponte cœlum versus eniti ; ità docilitatis , & obsequii , quod solaribus radiis in vaporem attenuatus eò rapi se sinat. Cerne illum (ait Augustinus ) in Lucæ Evangelio juvenem prodigum. Dum paterna domo extorris nihil præter infelicem suum statum considerat ; vel mercenarius esse apud patrem non renuit , ( c. 15. ) *Iho ad Patrem meum , & dicam ei : pater , peccavi in cœlum , & coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me , sicut unum de mercenariis tuis.* Sed observata mox benignitate , qua exceptus ab eo fuerat , satis habet suam tantummodo culpam , & indignitatem fateri : *Pater peccavi in cœlum , & coram te : jam non sum dignus vocari filius :* neque ullum porrò verbum de mercenarii conditione subjungit , *dum panem non haberet* (verba sunt sancti Doctoris) *vel mercenarius esse cupiebat : quod post Patris osculum generosissimè jam dedignatur.* ( L. 2. Qu. Evang. 9. 33. )

6. Secunda oppositio indè sumitur, quòd jucundus & familiaris alicujus personæ amor nequit cum ejusdem timore , veluti cum affe-



affectu sibi naturaliter adversario componi. Quare familiare hoc divini amoris genus in spiritualium virorum animis inferere penitus velle, idem prorsus videtur, ac timorem Domini ab iisdem exturbatum ire: sacrarumque Literarum authoritati contradicere, ubi sanctus hic timor omnibus universè præcipitur: ut in eo Psalmi 33. versiculo, *timete Dominum omnes sancti ejus*: neque ità, ut obiter duntaxat, & ad breve tempus concipiatur illius timor, sed firmissimas ut radices in animo gerat, sitque, qualis Psalmo 18. describitur: *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Talis quorundam argumentatio est: sed nullam profectò vim habens, nisi ex perperam usurpato illius timoris Domini sensu, quem Spiritus sanctus in prædictis, aliisque sacrarum voluminum locis commendat. Quapropter ad illius aperiendam vanitatem nulla re alia opus mihi fuerit, nisi ut nonnullas circa naturam timoris, quàm generatim sumpti, quàm divini propositiones explanem: quibus rite intellectis, ea per se ipsam concidet, utpote ne illam quidem veri speciem retinens, qua una imprudentiorum animis fucum facit.

7. Sciendum itaque primò est, timorem in genuino sensu acceptum, prout nempe certa, & peculiaris quædam affectio est, nihil esse aliud, nisi anxietatem, & perturbationem excitari in animo solitam, quo-

ties



ties mali gravis , proximéque impendentis, nec facile evitabilis species menti objicitur : ut cum violentus terræ motus domum , ubi degimus , quatit ; vel hostis districto ense in nos irruit. Unde apparet , in representatione mali possibilis quidem contingere , sed nec proximi , nec vitatu ardui haud posse verum ejus timorem , turbulentum nempe animi motum , sed quietam aliquam potius animæ affectionem , putà simplex odium , vel averſationem oriri. Observandum præterea est , non malum duntaxat ipsum , sed & personam illius auctorem timeri : quæ ideo ab homine eam sic timente amari non solet , juxta illum , à præcipuis tribus Philosophiæ Magistris , Aristotele , Seneca , & Tullio conceptum unanimi sensu & iisdem penè verbis effatu : *Nemo amat , quem metuit.* ( *Arist. L. 2. Rhet. c. 4. Sen. L. 4. de Benef. c. 19. Cic. de Amic.* ) Quin imò nedum non amari , sed & odio eum haberi , qui tanquam mali auctor timeatur , tum Cicero , tum D. Thomas testantur : ( *L. 2. de Off. 1. 2. qu. 43. a. 1.* ) Quare timor DEI , prout nostra punientis delicta , si justum prætergrediatur modum , adeò ut plus oderit , próque majori habeat malo pœnam , quàm culpam ; quasi affectus DEI , & divinæ justitiæ odium includens à D. Augustino damnatur : siquidem qui ita metuit , *mallet non esse justitiam , peccata prohibentem , & punientem.* *Etsi mallet justitiam*  
non



non esse ; quis dubitaverit , quòd eam si posset , auferret ? ( *Epist. 143. ad Anast.* ) Et Plutarchus ejusmodi Deorum timorem , quem superstitionis nomine exprimit , ipsamet impietate , seu Deorum inficiatione pejorem existimat. ( *de Superst.* ) illa enim ( nempe impietas ( *bonum suum non agnoscit.* ) Hac ( scilicet superstitio ) bonum pro malo ducit , nunquam miserior , quàm cum de Diis cogitat. Impius igitur nullos esse Deos credit : superstitiosus verò nullos esse cupit. Præsertim quòd ex præpostero hoc metu solet non raro ad ipsammet impietatem transiri. Dum quis nempe non vult vitiosas cupiditates suas inhibere ; neque potest assiduos divinæ ultionis terrores ferre ; facillimè eò progreditur , ut vel nullum esse divinum Numen in rerum universitate ; vel si aliquod est , nullam ab eo geri humanarum rerum curam sibi persuadeat. Tertiò animadvertere oportet , timoris vocabulum præter primariam suam significationem , quam paulò antè exposui , secundùm plures alias ipsi peregrinas , & minùs proprias solere ab hominibus vulgò usurpari. Sæpe enim adhibetur vel pro reverentia erga eos , qui magnam sese ulciscendi , si offendantur , vim habent ; vel pro averfatione alicujus mali , esto in præsens remoti , ac merè possibilis ; vel pro sollicitudine , & cura declinandi , quæ impendere possunt discrimina. Quorum affectuum nullus verus , & proprius timor

timor



timor est: neque seu animum inquietat concepti à se mali imagine, seu amorem personæ imminuit, à qua illud possit inferri: prout exemplo est magni alicujus Principis filius: qui cum noverit se à Patre, si perduellis ei fiat, severè, gravitérque plectendum; dici potest in sensu minùs proprio tum patrem, tum perduellionis pœnam timere: quatenus & illum ob supremam puniendorum fontium potestatem peculiari reverentia prosequitur; & deliberatum in animo habet, hanc nunquam promereri velle. Sed, quia nullum ei proximè imminens malum obicitur, nihil etiam seu perturbationis concipit, seu de consueta erga patrem confidentia, & charitate diminuit. Qui effectus in illius animo sequerentur, si perduellionis pœnam commertus, eamque ut jamjam impendentem sibi repræsentans, vero, proprioque afficeretur tum illius, tum patris timore.

8. Quod verò speciatim ad timorem Dei attinet, tria in eo quoque advertenda occurrunt. Et primò quidem fieri non posse, ut DEUS, qui purissimum bonum est, obiectum timoris sit, ratione sui ipsius, sed alicujus tantum mali respectu, quod nobis provenire ex eo queat, pœnarum videlicet, quibus nostra crimina ulciscitur: cum nullum, præter has, malum sit, cujus propria, & vera esse causa ille possit. Secundò, DEI timorem solere aliquando in  
latiori



latiori sensu accipi pro timore peccati; quatenus hoc aliquo pacto DEum respicit. Secundum quam ampliorem significationem solent illum Theologi in *filialem*, & *servilem* dividere, intelligentes cum S. Augustino pro timore filiali horrorem peccati, prout hoc est aliquod malum DEI, nempe ejus injuria, & offensio; pro servili verò horrorem ejusdem, prout est malum nostrum respectu vel poenarum, quas à divina justitia meretur; vel deformitatis, quam secum animo infert. *Timor castus est*, (sic Augustinus) *quo filij timent offensam patris; servilis, quo timent poenam.* (in Ps. 18. vide Suar. de spe Disp. 1. sect. 4.) Quos inter duos timores, licet primus nobilitatis prærogativa antecel- lat, utpote qui ad charitatem Theologicam spectat, ejusque propria exercitatio est; fatendum tamen cum Tridentina Synodo est, alterum quoque virtutis laudem mere- ri. Quod si reprehensum aliquando à san- ctis Patribus legimus, non quemcunque ibi timorem poenæ, sed eum solummodo de- bemus intelligere, qui recti modum tran- siliens, gravius malum esse poenam censet, quàm culpam, adeò ut actum hunc volun- tatis contineat, si poena abforet, susdèque culpam haberem. Tertiò notari hìc oportet, sacras literas, dum timorem Domini commendant, non semper improprio illum sensu usurpare, nimirum pro ægritudine, ac perturbatione animi, quæ ex mali pro-  
T
xime



ximè instantis, nec facile evadendi objectu consequitur; sed crebrò, imò & fors sæpiùs vel pro sensu admirationis, reverentiæ, & obsequii erga infinitam DEI magnitudinem; vel pro efficaci voluntate, atque studio, cavendi omnem tam potentis Domini offensam.

9. Demonstratur id primò illis Ecclesiastici verbis, quæ sanctum hunc timorem describunt, tanquam omni anxietate vacuum, imò etiam jucundum, atque hilarem. (c. 1.) *Timor Domini gloria, & gloriatio, & latitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit latitiam, & gaudium.* Confirmatur præterea, quia si nihil ille aliud significaret, nisi ægritudinem, angorémque animi, vel DEum sibi infensum, vel se in gravi, atque proximo peccandi discrimine concipientis: neutiquam timoris Domini capax Christus fuisset, minimèque eundem admittere beatorum Cœlitum animi possent: cùm tamen & de illo prædixerit Isaias, (c. 1.) *Repletum iri spiritu timoris Domini;* & horum timorem Regius Propheta, *in saculum sæculi permansurum,* (Ps. 18.) testatur. Qui amabò timores à D. Thoma, (1. 2. qu. 67. a. 4. & 3. p. qu. 7. a. 6.) pro illo humilis erga DEum reverentiæ, & submissionis spiritu accipiuntur, qui & perfectissimus in Christo Domino fuit, & in beatis cœli civibus perpetuus vigebit. Confirmatur rursus: quia si spiritus sanctus  
DE.



DEum ab omnibus quovis pacto, & in proprio hujus vocabuli sensu timeri juberet; nullus esset, utcunque anxius, & turbulentus DEI timor, quem honestè possemus defugere. Et tamen sanctissimi viri Job, atque Jeremias DEum deprecantur, ut à suo timore se eximat: (*Job. 13. Jer. 17.*) *formido tua non me terreat. Non sis tu mihi formidini*: Magnúsque Gentium Doctor sibi, & Timotheo gratulatur, quòd *non dederit eis Dominus spiritum timoris, sed spiritum virtutis & delectationis.* (*Ep. 2. c. 1.*) Confirmatur postremò, quia, ut omnes DEum propriè, & genuina hujus verbi significatione pertimescerent; necesse utique esset, ut se ipsos mente conciperent, tanquam vel admodum probabiliter illius inimicitiam gravi culpa promeritos, vel in præsentì constitutos, nec facilè superabili eam cavendi periculo. Nam alioquin, deficiente mali terribilis proximitate, necessaria simul deficeret ad id genus timoris conditio. Atqui, esto quàm plurimi solutioris vitæ homines possint justè, & perfacilè tales sese sibi cogitando exhibere; alii tamen permulti, ceu seduli Christianæ perfectionis cultores, nullam certè habent idoneam idem concipiendi causam: ideòque, etsi maximè conarentur, hujusmodi de se imagines in mente formare; nescio, an id posset revera, seriòque ipsis succedere: cùm talium malorum nihil in se queant, nisi meram possibilitatem ag-



noscere ; quæ , ut cuilibet patet , neutiquam sufficit , ut illos in proximo constituat eorum discrimine , veróque propterea crucientur timore : quemadmodum , licet cuivis hominum in singula momenta supervenire mors possit ; nemo tamen est , qui propter hanc possibilitatē eo continenter angatur mortis timore , quo angi consuevit , cum extraordinarii cujuscipiã eventus , putà terræ motus aut tempestatis causã , eam non solum ut possibilem , sed ut è proximo quoque impendentem animo prospicit . Adde , quod ( ut de criminis in futurum committendi timore aliquid speciatim subjiciam ) malum culpæ , cum ab omnibus pro suo arbitratu vitari & à DEI servis facile etiam vitari queat , juxta Angelici Doctoris sententiam , ( 1. 2. qu. 42. a. 3. ) *Non habet propriè rationem terribilis* : neque communiter verum timorem , sed simplicis odii , vel fugæ affectum ciere in piorum animis solet . Qui virorum propterea , ubi vel dæmonis tentatio , vel naturæ instinctus ad peccandum sollicitat ; propositam quidem sibi culpam toto animo averfantur , néve assensum ei præbeant , sedulo cavent : cæterum , si sanæ mentis sint , & à superstitionis morbo integræ , haudquaquam eas interim cordis angustias , perturbationesque & inquietudines sentiunt ; quas experiri solet , qui in præsentī , dubioque admodum discrimine , vel tecti supra caput nutantis , vel tauri ex adverso irruen-



ruentis versatur. Quin imò, posteaquã auxiliare Dei Numen suis met viribus divisi implorârunt: *omnẽ solitudinẽ suam projicientes in eum*, nihilque dubitantes, quin à præsentis discrimine eos vindicaturus sit, sub potentissimo illius patrocínio hilari cum securitate, & fiducia conquiescunt.

10. Quæ cum ita se habeant, palàm omnibus faciunt, duo esse timoris Domini genera: unum quidem inquietum, & anxium, quo lethalis culpæ rei percelluntur ob gravissimum, & assiduè sibi impendens divinæ ultionis discrimen: quòdque veluti non omnibus indiscriminatim, sed solis mortifero crimine obstrictis convenit; sic neque aliis, quàm his, justè suaderi, ac præcipi potest. Alterum verò pacificum, & tranquillum, prout nempe est affectus, quo fidelis DEO anima infinitum illius esse admiratur; coram illo se instar nihili despicit, & quamcunque ejus offensam summè abominatur: quod genus timoris, ut quemlibet etiam sanctissimum hominem decet, quantòque vehementius ab unoquoque concipitur, tantò sanctiorem eum reddit; sic unum commendatum est omnibus eo Davidis versiculo: *Timete Dominum omnes sancti ejus*. Unde postremò nihil negotii superest, in allata superiùs adversariorum objectione solvenda. Respondetur enim DEI servos posse hoc secundo timore contentos (qui solus ipsis congruit, & jucundè, amiceque cum DEO familiaritati minimè op-



ponitur) primum illum inquietum ac turbidum, qui & nulla ratione ad fideles DEI famulos spectat, & plus ipsis impediendi, quàm opis in divino famulatu afferret, non imminutâ mandatorum spiritûs sancti observantiâ missum facere: imò meliùs quoque, ac prudentiùs facturos, si conentur suo è corde illum abigere: ut eundem divina charitas ex animabus sibi deditis abigit: quæ D. Augustino affirmante, (*tr. 9. in Ep. Joan.*) *Cùm cœperit habitare, pellitur timor, qui ei preparaverit locum, quantum enim illa crescit, ille decrescit. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor.* Ubi rectè observat D. Bonaventura (*apud Suar. de spe disp. 1. sect. 4. n. 17.*) Divinam charitatem timori Domini adversari, non quâ bonus hic est, nimirum, prout facit, ut peccata vitemus; sed solùm quâ est imperfectus, nimirum, prout facit, ut ea trepidè, anxieque vitemus: atque ita posteriorem hanc qualitatem ab eo tollere, ut primam tueatur atque augeat: perficiendo illum secundùm id, quod continet boni, & purificando secundùm id, quod admistû habet imperfecti: adeò ut efficacissima quidem, sed minimè inquieta remaneat divinæ offensionis fuga. Paucis: divinus timor non semper in sacris Paginis denotat perturbationem animi propter grave supplicium, quod à DEO immineat: sed plerumque accipitur pro sensu intimæ venerationis erga summum DEI Numen; vel



vel pro enixa voluntate , atque cura cujuslibet illius offensionis cavendæ. Quo in posteriori sensu & aptior viris spiritualibus est , & familiarem cum DEO usum minime impedit. Nego itaque , à Vate Regio, ubi Sanctos omnes timere Dominum jussit , intellectū primi generis timorē fuisse , cujus ii capaces non sunt , sed posteriorem duntaxat , qui solus in iis habet locum : & nego consequenter , timorem universè in sacris Literis commendatum , vel amicè cum DEO consuetudini obstare , vel amica cum DEO consuetudine imminui.

II. Tertiò aliqui objiciunt , non debere hominem , qui DEum pluries gravi crimine offenderit , hujus improbitatis , quamdiu vivit , oblivisci : sed veluti ab omnibus sanctis Viris factitatum accepimus , eam semper habere præ oculis , tum excitandæ , fovendæque humilitatis causâ ; tum , ut commissa olim maleficia perpetim deslens , ab iisdem porrò iterandis sit tutior. Hanc verò objectorum tam tristium jugem memoriam , quique ex ea consequi solent , mœstitiæ , pudoris , & confusionis affectus nimiùm quàm dissidere à jucunda , & familiari conjunctione cum DEO. Quæ proinde nemini consentanea videtur , nisi animabus scelerum puris , & vitæ innocentiam illius usum promeritis. Sed neque hæc objectio quidquam nobis contrarium evincit. Esto quippe nullus ex DEI famulis perpe-



tuæ oblivioni mandare debeat, quæ adversus cœlestem suum Dominum scelera admittit, sed ea crebrò cum magna animi confusione recordari, & deflere; imò hæc recordatio, & confusio non eorum solummodo propria esse debet, qui in priore vita DEum pluries, gravitèrque offenderint, sed hominibus quoque, gravium criminum nesciis, circa quotidianas, & leviores suas noxas convenit; nego tamen adeò continenter faciendum hoc esse, ut DEI servus nulla re alia occupari debeat, quàm in considerandis, ac deflendis criminibus. Eratio, cur id negem, ex noxiis effectibus ducitur, qui ex jugi illa feralium objectorum meditatione, nec unquam interrupta dolendi, atque plorandi assiduitate tum in corpore, tum in anima existerent. In corpore quidem per vehementem cordis pressuram, atque inde consequentem motuum vitalium impeditionem; quos effectus à nulla perturbatione animi directiùs, quàm à tristitia produci, nullàmque aliam nocentiorrem hæc esse hominum vitæ Doctor angelicus (1. 2. *quæst.* 37. *art.* 4.) tradit. In anima verò per consternationem, inertiam, torporem, & stupiditatem, qua hæc obrueretur, omni vigore, & alacritate amissa, quacum operari solet, ubi à lætitia incitatur. Quapropter Joannes Chrysostomus mœrorem assimilat unguento mordaci, & ad corroendum valido, quod si usto diutiùs



tiùs ulceri infideat, exasperet illud potiùs, quàm sanet. ( *L. 3. de Provid.* ) Adeò est enim acer, atque efficax, ut etiam ope sua indigentibus, si plus temporis, quàm necesse est, immoretur; maximorum malorum causa sit. Quod & B. Paulus metuens, citò illum, postquam fecerat, quod suum est, auferri jussit, causámque protinus adjecit eam, ne fortè abundantiori tristitia absorbeat, qui huiusmodi est. Et S. Teresa ( *In itinere Perf. c. 29.* ) monet eos, qui ex peccatorum consideratione inquietari, & diffidentia contrahi sibi animum sentiunt, mentem indè ad jucundiora alia, divinæ nimirum erga nos charitatis objecta, quantum possint, avertere. Adde huc, quòd, licèt criminum patratorem memoria, quique ex ea provenit dolor, multas utilitates homini pariant; sunt tamen aliæ itidem sanctæ cogitationes, aliique pii affectus, & præsertim ad amorem DEI spectantes, unde non minùs, imò & ampliùs spiritualium fructuum percipere liceat: adjumenta nimirum, non ad solam humilitatem, atque scelerum fugam, sed ad strenuam quoque honestorum quorumvis operum exercitationem, ad rerum terrenarum contemptum, & ad DEI voluntatem in quavis re etiam minima implendam. Quamobrem ( scribit D. Bernardus *serm. 11. in Cant* ) suadeo vobis amicis meis, reflectere interdum pedem à molesta, & anxia recordatione viarum vestrarum, & evadere in itinera planiora serenioris



memoria beneficiorum DEI: ut, qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis. Et quidem necessarius dolor de peccatis, sed si non continuus. Sane interpoletur latiori recordatione divinæ benignitatis, ne fortè præ tristitia induretur cor. Ideo justus non continuè, sed tantùm in initio sermonis accusator est sui. Porro autem in DEI laudes extrema sermonis claudere consuevit. Idque ad eos potissimùm spectat, qui longo jam tempore exercitati sunt in meditanda peccati lethalis malitia, justùmque tantæ pestis horrorem fixum penitùs in animo habent, & omnes illius maculas piacularibus sinceræ pœnitentiæ lachrymis studuerunt in se ipsis eluere. Quippe his veterum delictorum memoria, & consideratio haud instar communis horologii esse debet, quod sonoro in singulas horas tinnitu sensum sui renovet: sed excitatorii potiùs horologii vice, quod, si quando in altiorem negligentiae somnum deciderint, vocaliùs insonans, ab ignavo illo torpore ad consuetam operandi sedulitatem eos revocet.

12. His itaque constitutis, ajo cum D. Thoma: pœnitentiam habitualem, seu propensionem ad odio habendum, & vitandum peccatum, debere esse in DEI servis continuam: (3. p. quæst. 83. art. 9.) ita ut nunquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciant, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur. Quantum verò ad pœnitentiam actualem, dico, utilissimum esse, ut suas quisque culpas



pas crebrò in memoriam revocet, acrem in-  
dè sensum doloris, & confusionis eliciens,  
ea præsertim de causa, quòd illis perpetrando  
cœlestem suum Patrem, ac Dominum  
indignissimè offenderit. Addo nihilominus,  
factu optimum fore, si, postquam aliquis  
firmam satis in DEI gratia, & illius retinen-  
dæ proposito stabilitatem nactus fuerit, adeò  
ut à pluribus retrò annis nulla mordeatur  
capitalis noxæ conscientia, plerumque oratio-  
nis suæ tempus, in sanctissimo DEI amore  
idoneis cogitationibus excitando, & jucun-  
dis affectibus exercendo traducat: jam im-  
mensam illius magnitudinem admirans, jam  
ineffabilem erga nos charitatem meritis lau-  
dibus celebrans, jam, quidquid rerum crea-  
tarum in pretio haberi, & amari potest, præ  
illo despiciens, nullique non terrenæ felici-  
tati, atque gloriæ amicam cum eo conjun-  
ctionem anteferens, jam optans in eo aman-  
do semper amplius proficere, jam firmiter  
statuens, totum illi se addicere, nec quid-  
quam præter eum boni quærere. Quos  
actus quisnam possit parvi facere, aut mi-  
nùs tali homini utiles ducere, quàm conti-  
nuum de antea actæ vitæ flagitiis mœrorem?  
Præsertim quòd jucunda hæc divini amoris  
exercitatio neque ipsam peccatorum memo-  
riam: & detestationem excludit, quin po-  
tius austero, & mordaci illius gustu inna-  
tam sibi suavitatem quodammodo exacuit,  
magis sensibilem reddit. Similiter ac ob-  
ser-

fer.



servat Aristoteles, (*Prob. 9. sect. 13.*) nec quisquam non è vulgo experitur, ciborum suapte naturâ dulcium amabilitatem per nonnullam acidi saporis commistionem intendi potiùs, quàm minui. Et verò quemnam possit amans DEI anima suaviolem affectum concipere; quàm si ad cœlestem suum sponsum versa ei dicat: Itâne ô pulcherrime & amabilissime Deus! fieri potuit, ut ullum ego unquam creatum tibi objectum præferrem? Ah, mi benignissime Pater? quantò te indigniùs olim offendi, tantò esse posthac volo in te amando ferventior. Proh quàm mira, imò & omnem admirationem exuperans tua hæc est, maxime Universitatis Rector, bonitas, qua me ingratisimum servum, tibi que toties perduellem in filii, & amici loco habes. Certè omnes hi actus, & qui eorum similes possunt erga Deum concipi, manifestam admissorum criminum memoriam, & detestationem intra se continent: & tamen, quia non ibi tantummodo toti hærent, sed simul, præcipuè que DEI amabilitatem, ac præsentem suam cum ipso amicitiam respiciunt, usque adeò à diminuenda illius amoris suavitate absunt, ut vividiorum potiùs faciant, & sensibilem magis, comprobantes hoc pacto rectè D. Augustinum sensisse, dum scripsit: *Dulciores esse lacrymas orantium, quàm gaudia Theatrorum.* (*In Ps. 127.*)

13. Addat coronidem dictis, quod in Patrum



trum historia evenisse duobus Monachis pœnitentibus traditur. (*Rosw. de vit. Pat. l. 5. pag. 578.*) Diversis hi cellulis luendorum criminum causâ inclusi, annum traduxerant, pari in singulos dies utrique definitâ aquæ, & panis ad victum mensura. Ecce autem pœnitentiæ tempore jam expleto, reclusisque cellis mira in utriusque aspectu diversitas cerni: & hic quidem lurido, & exanguis vultu cadaveris speciem, ille vivido, & vernanti colore Angeli instar referre. Mira, inquam, diversitas, sed cuius causa non diu latuit. Cùm enim interrogati essent à Patribus, quidnam illius anni tempore meditati secum fuissent? respondit prior, præsentem sibi assiduè ante oculos mentis hæsisse miserimum statum, in quo ante conversionem suam versabatur, tanto cum animi horrore ad ejusmodi imaginem, ut interior ægritudo in corporis quoque habitum redundaret. At contrâ alter pro suarum meditationum objecto ineffabilem se habuisse misericordiam retulit, qua à DEO in pristinum servitutis, & amicitia suæ gradum restitutus fuerat, unde continuam percipisset sincerissimæ voluptatis materiem. *DEO gratias referebam, qui eruit me de inquinamenti hujus mundi, & de futuri sæculi pœnis, & revocavit me ad hanc conversationem angelicam: & reminiscens DEI mei lætabar.* En hic duplicem pœnitentiam: utramque inimicam peccati; sed aliam dolendo, quòd in illud  
in-



incidisset; aliam gaudendo, quòd ab illo emerfisset: utramque studiosam vitæ in melius mutandæ: sed aliam ex prioris statûs odio, aliam ex amore erga novum: aliam nullius rei memoriam, nisi suæ adversus DEUM malitiæ; aliam divinæ simul intentam erga se misericordiæ, ideóque mœstam aliam, aliam gaudentem. Quidnam de iis tibi Lector videtur? Utrámne præoptandam alteri existimas? Boni illi Patres, qui rei gestæ interfuerant, conclusêre: *Æqualis est amborum pœnitentia apud DEUM.* At tu, nî fallor, secundam potiozem mecûm censebis, vel hac ipsa de causa, quòd, cum minùs DEO accepta non sit, humanæ magis congruit naturæ: cujus nomine promulgavit Philosophus, quodvis objectum optabilius esse, si adjunctam delectationem habeat, quàm si ab ea disjungatur, & si purum à tristitia, quàm si infectum eâ sit, (3. Topic. c. 2.) *Idem eligibilius cum voluptate, quàm sine voluptate, & cum indolentia, quàm cum tristitia.* Præsertim quòd prima, si diu continuetur, nocere perquam graviter corpori juxtà, & animo solet; hæc verò altera per omnem vitam prorogari sine ullo incommodo potest.

CA.



## CAPUT VI.

*Respondetur alteri objectioni ex  
sanctorum virorum exemplis desumpta.*

**D**Octrina, quam hactenus stabilivimus, ad fervorem DEI non mores quidem per vivendi licentiam, sed animos tantum per divinæ charitatis suavitatem laudandos, si rationis in trutina perpendatur, cum ea omnino congruere: & legitimo niti pondere æquitatis videtur. Quare adversarii, cum hac ex parte munitam satis videant, aliunde oppugnandam sumunt, autoritate nimirum, atque exemplis complurium, qui ob eximiam sanctitatem publico cultu ab Ecclesia dignati, in contrariis nihilominus humilitatis, & pœnitentiæ studiis vitam omnem duxerunt: ut dubitari nequeat, quin hi tutiorem hanc pii timoris, dolorisque, quam contrariam familiaris cum Deo consuetudinis viam arbitrati sint, & talem revera esse, suo iudicio sat probent. Hæc postrema est objectio, quâ me volvere oporteat: imò quam possem, ceu in capitis superioris procemio jam solutam ad ulteriora festinans transmittere; nisi operæ pretium existimarem illius inanitatem tantò evidentius, quantò magis propriis, & peculiaribus argumentis ostendere.

2. Re-



2. Repetito itaque altiùs ratiocinationis exordio statuo instar principii, quòd nemo inficiari posse videatur in controversiis de absoluta, vel majori humanarum operationum bonitate rationi deferendum plus esse, quàm ullis mortalium personarum exemplis, utpote iis, quæ non aliunde bona, & laudabilia dici possunt, nisi quia cum ratione consentiunt. Quare omnino impossibile est, ut per discrepantiam ab illa illius auctoritatem valeant imminuere: sed locum hìc quoque habet illud Tertulliani de fide argumentum, (*De Prasfer.*) *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Nimirum non tam fidei bonitatem ex auctoritate eam profitentium, quàm horum auctoritatem ex fidei bonitate erui debere. Quod ut evidentius pateat, observo inter actiones illustrium virorum, quos Ecclesia Cœlitum numero adscripsit, aliquas esse omni procul dubio non bonas duntaxat, sed suo etiam meliores contrario, ceu exempli gratiâ pro injuriis beneficia rependere: alias bonas quidem, sed non optimas, & laudabiliores contrario, veluti facultates suas potiùs retinere ad alienam egestatem levandam; quàm ex Evangelicæ paupertatis studio semel universas dimittere: alias, de quibus dubitari possit, num suapte naturâ bonæ, vel saltèm meliores sint, putà, contemptùs aucupandi gratiâ stultitiam simulare; alias, quæ non absolutè, & generatim commendari mereantur



antur, sed in aliquibus tamen personis, & circumstantiis laudabiles fuerint, quia ex peculiari DEI instinctu susceptæ, ut sese ultrò fidei hostibus pro ea mactandum offerre: alias demum apertè non bonas, qualis fuit Apostolorum contentio: *Quis eorum videretur esse maior*, & quales omnes eæ sunt, quarum caulâ *septies cadere justus* dicitur. Cùm ergò ex dictis palàm sit, non quidquid sancti viri egerint, optimum illicò, aut saltèm bonum, & imitabile existimari posse; quæro jam, quonam Lydio, ut sic loquar, lapide oporteat nos uti ad discernendas in eorum actionibus rectas à pravis, melioresque à minùs bonis? Et quoniam nullum assignari præter rationem discerniculum potest; concludo, ut legitimè comprobatum, quod suprà statueram, hanc esse unam, quæ quibuslibet mortalium exemplis auctoritatem vel tribuat, vel demat? nec quia constet sanctum virum esse, qui aliquid egerit, constare item protinus, sed arguendam aliunde esse actionum illius sanctitatem. Quamobrem, si quis ità argumentetur: ille, aut ille vir sanctus hoc fecit, ergò hoc factu optimum est, & quisquis aliter agit, malè, vel minùs rectè agit, argumentum nihil evincet: sed illius consequentia tanquam perperam deducta, respui merebitur: Consequens verò inter approbationem, & repudiationem ambiguum pendeat; quoad ratio certiori suo quopiam, & magis uni-

U

ver-



versali principio, quid de illo decernendum sit, palam faciat.

3. At, si ita res habet, nulli nobis usui futura esse dices Sanctorum exempla: ut quæ vel non satis nos certos recti itineris facient, si destituantur rationis suffragio; vel supervacua ad finem hujusmodi erunt, si ab illa probentur. Nego ex dictis id sequi: Esto siquidem præclara illorum gesta per se nil prodesse ad demonstrandum nobis, quid factu laudabile, aut laudabilius sit; valent nihilominus ad nos incitandos, ut strenuè, alacritèrque suscipiamus, quod tale esse alioqui sat novimus. Qui enim eos cernit tam egregia edidisse virtutis facinora, fieri non potest, quin pudore afficiatur, segnem usque adeò ad promiscua, & vulgaria patrandæ se aspiciens: neque ultra jam potest peculiari suæ ignaviæ communis naturæ imbecillitatem prætexere: sed convinci se audit acerrima illa interrogatione, cui suam ante conversionem nil inveniebat Augustinus, quod responderet (*L. 8. Conf. c. 11.*) *Tu non poteris, quod isti, & ista?* Quocirca in aliorum operibus spectans non modò, quales ii fuerint, sed qualis ipse etiam esse posset, ac deberet; stimulatur indè non ad illos duntaxat, sed quodammodo ad sese ipsum æmulandum. Quia, teste Valerio Maximo, (*l. 7. c. 6.*) *excellentiſſima animadvertendi, ne mediocria quidem præſtare, rubori oportet eſſe: prout experiri inter alios Julio Cæ-*



Cæsari contigit, qui visâ aliquando, cùm Quæstor in Hispania esset, Alexandri Macedonis statuâ suspirâsse fertur, indignè ferens, & sibi exprobrans, quòd, cui par prope modum ætate erat, tantò impar rerum gestarum gloria esset; jámq; tum vastas illas magnorum operum destinationes concepit animo, à quibus dein ad Romæ imperium perductus est. Sed enim vero præter hoc cordi infixos æmulationis magnanimæ stimulos neque parum lucis illustria sanctorum virorum exempla menti afferunt ad perspicendum, quid factu laudabile, seu etiam laudabilius sit: idque in triplici potissimum casu. Primò quidem, cùm de actionis cuiuspiam bonitate haud penitus liquet. Si enim tunc constet ab uno, vel pluribus sanctis viris eam suo usu comprobatam fuisse; satis id argumenti est, ut recta existimari, & probabilis queat. Nam qui, ut Sanctorum mos est, rectè operari plerumque, & communiter solet, in quocunque peculiari suo actu, cuius improbitas non appareat, rectè operatus existimari potest, tutaque ideo, & honesta illius actio censerit: honesta, inquam, & tuta; at non pariter optima, & contrario suo melior; vel adeò necessaria, ut eam omisisse piaculum sit. Neque enim par suppetit ratio, cur judicemus sanctorum virorum quemlibet nîl nisi optimum ex contrario, & communi usu fecisse. Secundò idem evenit, cùm ratio, bonam



esse actionem quampiam persuadens, non omninò certa, sed probabilis tantummodo est. Huic siquidem ab unius, vel plurium sanctorum exemplis novum majoris probabilitatis pondus accedit. Quanquam neque ibi satis causæ sit ad contrarium vel in culpa, vel minori in laude ponendum. Tertius casus est, quando non unus, vel pauci quidam solummodo ex sanctis viris, sed omnes ferè universi deprehenduntur certam aliquam agendi viam tenuisse. Illud enim tam universali, adeoque sibi concors exemplum satis magnam per se unum vim habet, ut viam tot illustribus consignatam vestigiis pro recta, imò etiam pro optima, & necessaria ducamus. Ac proinde, etsi nulla peculiaris ratio probaret, voluntarias corporis afflictationes magni esse ad Christianam perfectionem momenti; sola nihilominus ad earum necessitatem demonstrandam validissimæ rationis instar esset unanimis omnium, quos solenni Cœlitum cultu prosequimur, in iis usurpandis consensus.

4. Age jam, his præmissis, ad objectionem propositam redeamus. Quid ait adversarius? Multi Sanctorum non alia ad perfectionem, quàm humilis pœnitentiæ, ac divini timoris via contenderunt. Ergò nulla rectior, & tutior, imò nulla præter ipsam tuta, & recta haberi potest. At quotocuique hanc suam conclusionem pro legitima venditorem se putat? Ego certè  
nihil



nîl hæsitans vix auditam rejicio? nec secus à te quoque, mi Lector, factum iri crediderim. Siquidem, ut certa, , solidaque videretur, statuendum pro fundamento ipsius foret, quidquid Sanctorum aliqui egerint, factu optimum, imò unicè bonum, & necessarium electu esse. Quæ propositio quàm longè à vero absit, luculenter demonstratum jam est.

§. Quid verò, si ulterius progredi vellem, & ipsismet Sanctorum exemplis, quæ contra doctrinam à me assertam nîl valere jam ostendi, ad eam insuper propugnandam, & firmiùs stabiliendam uterer? Atqui tam proclive factu id mihi est; quàm pleni Ecclesiæ facti sunt hominibus sanctis, qui à me commendatâ amicæ, & familiaris cum DEO consuetudinis viâ ad perfectionem contenderunt. Fac igitur, ego quoque adversarii positionibus, & principiis inhærens adversus eum colligam, hujuscemodi viam, utpote tot sacrorum heroum vestigiis impressam, pro tuta, atque recta; imò etiam necessaria, unicâque esse habendam; quidnam, rogo, sic argumentanti respondere poterit? Aut quo pacto sinè aperta contradictione nodum illum, quem ipsemet nexuit, resolvat? Enim verò vel dicat, necesse erit, id genus viam tutam quidem esse, atque rectam, quia complures sancti viri eam tenuerint: sed rursus neque rectam, neque tutam, quia Sanctorum alii diversam



ab ea secuti sint; vel si ita ineptire nolit, fateri demum cogetur, peculiaria Sanctorum exempla haud satis valere, ut indè arguatur, malè, vel minùs bene operari, qui diverso ab iis modo operatur: præsertim si in hac ipsa diversitate ad aliorum, & fortè plurium exemplum se effingat: prout facit, qui filii more per hilarem confidentiam intimique amoris necessitudinem adherere DEO mavult; quàm servi ritu in humili duntaxat illius reverentia, & timore vitam traducere. Idémque adhuc plenius confirmatur: quia cæteroqui operosa etiam æternæ animarum salutis procuratio reprobata censeretur exemplis Sanctorum, qui ab omnibus humanis commerciis remoti divinæ duntaxat contemplationi vacârunt; & solitaria item hujusmodi contemplatio vituperationi obnoxia videretur, illorum respectu, qui spirituali proximorum auxilio sese addixerunt: nec, ut summam rem colligam, pro judicandi, vivendique institutione alia, quàm omnino discordi, & pugnante secum norma uteremur.

6. Concludo itaque, varias esse, ut statutum præcedenti capite est, spiritualis vitæ semitas, & cuivis, qui in earum aliqua DEI ductum sequatur, licere sublimis sanctimonix gradum assequi: prout assecuti illum sunt, quoscunque aris nunc impositos veneramus, quàm remoti alii ab aliis in via, tam conjuncti omnes in termino, quàmque



que dissimiles secundum speciem, tam æquales multi secundum perfectionem vivendi. Quapropter cavere nos oportet, ne aut minoris eos faciamus, qui diversam à nostra sanctioris vitæ semitam terunt; aut minùs contenti nostra vocatione simus, quòd complures eximiæ sanctitatis viros ad aliud vivendi institutum à DEO vocatos fuisse noverimus; aut demum diversa omnia institutorum genera aggredi simul, & coadunare in nobis velimus, cursitantes absque ullo progressu, jam prorsum, jam rursus; jam dextrâ, jam lævâ, prout invicem dissidentia jam hujus, jam illius sancti viri exempla nos rapiant. Sed curandum potius cuique est, ut quando non nisi unica tendere ad perfectionem via ipsi licet, inter multas, quæ se offerunt, aliæ aliorum vestigiis signatæ, eam sibi peculiariter, proprièque eligat, in qua sibi plurimum progressurus videtur: juxta propositam à magno gentium Apostolo regulam: qui varia vocationum, & donorum DEI genera enumerans, cùm dixisset: (1. ad Cor. c. 12.) *Quosdam quidem posuit DEus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, &c. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* subjungit, *amulamini autem charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* divinæ scilicet charitatis viam, uti mox expressit. Quam ego quoque illius



regulam sequens, quemadmodum inter duas, alteram divini timoris, alteram divini amoris semitas, hanc ex genere suo potiore illâ arbitror: sic præ illa hic in medium afferendam, & omnibus comendandam putavi, quos ex propria aliqua ratione peculiaris DEI instinctus aliorsum non vocet. Ubi tamen addo non ideo, quòd perfectior, meliòrque existimari illa possit, perfectiorem illico, melioremque esse habendum, quicumque illam capestat, quolibet, qui contrariam delegerit. Cùm manifestum sit, sanctitatem hominis non ex statu, in quo degit, sed ex vita, quam in eo ducit, æstimari oportere: meliùsque (juxta dictum Cassiani) *esse devotum in minoribus, quàm in devotum in majoribus professionibus inveniri* (Col. 19. c. 3.) Quemadmodum igitur, licet status religiosus libero, & communi antecel- lat, multi tamen sanctiùs in domo sua vivere, quàm alii in sacris Asceteriis cernantur; & veluti ex duobus, quorum alter brevior, magisque planam, alter verò longiorem, impeditioremque viam sequitur, contingit interdum, ut hic ratione majoris sedulitatis, vel roboris, plùs progrediatur, & citiùs, quàm ille sui metam itineris teneat; sic, quamvis commendata à nobis divini amoris suavitas majorem suapte naturâ, quàm servilis, & anxius timor vim habeat, animæ ad eximiam perfectionem ducendæ; fieri nihilominus potest, ut mul-  
ti,



ti, vana sibi per ignaviam illius præsidia red-  
dentes, minimum indè utilitatis percipiant:  
aliique è contrario, quod itineri deest, stu-  
dii contentione supplentes, ad insignem san-  
ctimoniam perveniant. Quos tamen nemo  
facilè ibit inficias, hanc vel promptiùs, vel  
ampliolem consecuturos fuisse, si pari cum  
alacritate, sed expeditiori tramite ad eam  
contendissent.

7. Addo postremùm, etiamsi Sancto-  
rum aliquis, humilis pœnitentiæ, & timo-  
ris semitam, præ altera jucundæ, amicæ-  
que cum DEO conjunctionis sibi privatim  
legisset; sed & luculentis insuper præconiis  
primam, quasi tutiorem exornâisset; con-  
trâque alteram, ceu gravibus periculis ob-  
noxiam, minùs sibi probari ostendisset, ne  
talibus quidem ejus judiciis moveri nos de-  
bere ad hanc deferendam, si alioquin nostro  
interiori profectui oportunam experiamur,  
atque utilem. Nam primò complures re-  
perire est non modò in sanctorum Patrum,  
verùm etiam in sacrarum literarum, mo-  
numentis sententias, quas profectò, ne vel  
communibus rectè vivendi principiis, vel  
alibi editis Spiritûs sancti oraculis contradi-  
cant, commodè, prudentérque interpreta-  
ri oporteat: & nos item professi jam sumus,  
familiarem hanc cum DEO consuetudinem  
malè iis convenire, qui nondum se ad illam  
integritate à lethalibus noxis, pravorum af-  
fectuum moderatione, suarúmque virium



diffidentia, & submissione animi præparaverint. Secundùm quas exceptiones intelligenda essent sanctorum Patrum dicta, sic ubi amicam, & filiorum propriam cum DEO agendi rationem improbare, aut habere suspectam videntur: cùm cæteroqui alienum omnino à fide sit, quemquam eorum absolutè damnatam voluisse spiritualis vitæ praxin, quam tot præstantis sanctimonix viri suo usu probârunt. Idque confirmari indè etiam potest, quòd multi ex sacris Doctoribus, ceu probè animadvertit Franciscus Stadiera (*de Fallac. Gener. p. 2. Tr. 10. c. 10.*) haud semper, & ubique eodem modo, inque eandem sententiam de iisdem materiis scripsère: sed hìc exempli gratiâ eos audimus de æterna salute, tanquam de re loqui admodum impedita, & quæ non nisi paucis contingat; alibi verò eandem repræsentare instar negotii, cuius facilis cuique exitus sit: prout scilicet diversa erat seu temporis, quo scribebant, seu personarum, quas alloquebantur, conditio. Qui ab æquis Lectoribus idonea potiùs explicatione conciliandi secum sunt, quàm falsitatis, inconstantixque arguendi. Accedit huc, quòd sancti viri præter comunem toti Ecclesiæ, & universis fidelibus generalis sanctimonix spiritum, suum item, propriùmque habuerint singuli, ut diversam, & peculiarem diversæ partes nostri corporis formam; qui spiritus, quemadmodum  
eos



eos impellebat, ut certam aliquam præ aliis  
 sectarentur rationem vivendi; sic in causa  
 erat, ut eandem Lectoribus quoque, & Au-  
 ditoribus suis commendarent. Quare, qui  
 ad aliam diversam à peculiari suo spiritu im-  
 pellitur, neutiquam perturbari eorum ser-  
 monibus, neque esse *parvulus fluctuans, & cir-  
 cumferri omni vento doctrinæ*: ( *ad Ephes. 4.* )  
 sed persuasum ritè habens, *non omnibus om-  
 nia expedire*, ( *Eccles. c. 31.* ) & *in domo Pa-  
 tris mansiones multas esse*; ( *Joan. 14.* ) quomo-  
 docunque hi, aut illi vivant, & loquantur;  
 debet ipse recto gressu, animoque institu-  
 tum curriculum prosequi. Quid plura? us-  
 que adeò nulla nobis est ratio, cur minùs  
 contenti nostra vocatione simus, quia hic,  
 aut ille vir sanctus aliam contrariam, qua-  
 lis sua erat, singularibus præconiis extule-  
 rit; ut hoc ipsum pro incitamento habere  
 debeamus eum imitandi: ut, sicut ipse pe-  
 culiarem suam DEO inserviendi rationem  
 magni fecit, amplèque laudavit; sic nostram  
 ipsi quoque, & peculiari affectu prosequa-  
 mur, & sublimi in æstimatione ponere apud  
 alios curemus: dummodo tali cum tempe-  
 ramento id fiat, ut propria commendando,  
 instituta aliena non improbentur: sed velut  
 à Cassiano præscribitur, ( *Coll. 14. c. 5. & 6.* )  
*Unusquisque aliorum quidem laudans, admirans-  
 que virtutes, nequaquam à sua, quam semel ele-  
 git, professione discedat: multis enim viis ad  
 DEUM tenditur.* ( *Cujus temperamenti u-  
 sum*

sum



sum circa hanc ipsam familiaris, & jucundi erga DEUM amoris memoriam, scitè olim Christus Dominus charissimæ suæ sponsæ Gertrudi inculcavit: reprehendens eam, quòd indignè ferret, à quadam ex cœnobii sororibus cum trepidatione potius, quàm cum fiducia, & hilaritate ad sacram Synaxin accedi, quid enim? (cœlestis Magistri oratio fuit) *Nonne consideras, quòd non minùs dignè debetur mihi reverentia honoris, quàm dulcedo amoris? Sed, cùm defectus fragilitatis humana nequeat utrumque perficere; cùm vos sitis invicem membra, dignum est, ut, quod per se qualibet non potest perficere, recuperet per aliam: e. g. qui magis dulci amore affectus, reverentia minùs assequitur; pro se suppletum gaudeat ab illo, qui magis intendit reverentia: & vicissim desideret, illum obtinere solatia unionis divina. (Insin. l. 3. c. 10.)*

## CAPUT VII.

*Ad validiùs confirmandam præcedentem doctrinam ostenditur, quanti referat cum spiritualis lætitiæ sensu DEO famulari.*

**S**piritualis lætitia, prout ipsum nomen sonat, illa est, quam hominis animus percipit ex suis spiritualibus bonis: quòd nimirum à Deo in filii, & amici loco habeatur, quòd sub tutela ejus vivat, quòdque brevi



brevi aditurum sempiternam cœlestis illius regni hæreditatem se speret. Quàm firmas sanctioris vitæ Professores habeant causas lætandi de possessione partim in præsentī, partim in futurum promissa tam incomparabilium bonorum satis demonstratum à nobis jam est. Superest hîc demonstrare, quàm providè item, sapientèrque rationibus suis confluent, si hujusmodi interiorem lætitiâ fovere in suis animis curent, reputando identidem secum exuperantissimam felicitatem, quam in Deo summo, infinitoque bono, ceu illius filii, amici, & hæredes repositam habent. Quæ appendix præter fructum, quem vel sola sui cognitione afferre nata est; novum quoque præcedenti doctrinæ firmitermentum adjiciet, planiusque ostendet, quàm à vero procul devii ferantur, qui nullam reperiri posse absque jugi mœrore solidam humilitatem existimant, omnemque in spiritualium virorum animis ex Deo haustæ dulcedinis sensum, tanquam vanitatis, arrogantiaëque fomitem anxiiis dubitationibus, & conscientiaë terroribus perturbare contendunt: ea de causa in errorem abducti, quòd profanam vulgaremque lætitiâ non satis distinguant à supernaturali & divina: quæ, cum Deum ipsum, bonum infinitum pro materia gaudendi habeat; nunquam sanè potest in gaudendo modum excedere; imò quantò major in animo est, tantò illum plus perficit: prout cum maximo suo bono

ex-



experiuntur beati Cœlites, & prout facile agnituros omnes confido, qui rei veritatem seu in rationis, seu in authoritatis trutina pensitare mecum voluerint.

2. Et primò, si stare authoritati volumus, nullum reperiri ajo in sacris literis locum, qui DEI famulos exultare in eo vetet: sed, si alicubi mœrorem audimus præferri lætitiæ, ceu exempli gratiâ in illo Salomonis effato, (*Eccles. 7.*) *Cor sapientum, ubi tristitia est, & cor stultorum, ubi lætitia*; nemini esse dubium posse, quin ibi tristitiæ nomine gravitas, & modestia; lætitiæ verò intemperantia, & procacitas designetur. Cæterùm, quod ad jucunditatem spectat in justorum animos ex DEO profluentem; nullum scribendi finem facerem, si omnia hinc vellem colligere, quæ in hagiographis voluminibus passim occurrunt præconia. Libeat pauca quædam audire, & primùm ea, quibus David suos Psalmos referit: (*Pf. 63. 149. 30. 85. 50. 38. 104. 99. 33. 94. 31.*) jam affirmans proprium fervorum Dei esse, gaudio, & lætitiâ affici: *Latabitur justus in Domino. Exultabunt Sancti in gloriâ, latabuntur in cubilibus suis. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* jam DEUM orans, ut cœlesti hoc nectare sibi animam nutriat, & recreet: *Latifica animam servi tui. Quoniam tu Domine suavis, & mitis. Redde mihi lætitiâ salutaris tui, & spiritu principali confirma me;* jam bea-  
tum



tum appellans, qui hanc sincerissimæ jucunditatis venam repererit: *Beatus populus, qui scit jubilationem; jam omnes invitans, cohortansque ad veniendum in tantæ beatitudinis partem: Latetur cor quærentium Dominum. Servite Domino in lætitia: introite in conspectu ejus in exultatione. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Venite, exultemus Domino, jubilemus DEO salutari nostro. Latamini in Domino, & exultate justî, & gloriamini omnes recti corde.* Succedit ei Salomon, paternorum hæres sensuum, in jucunditate animi præhabenda tristitiæ, cùm de hac scribat: (*Prov. 25.*) *Sicut tineæ vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi: illam verò tanti faciat, ut profiteatur; se intellexisse, (Eccles. 3.) Quòd non sit melius, quàm latari, & facere benè.* Succedit item Ecclesiasticus, qui veluti in lætitia constituit vitam, (*c. 3.*) *Jucunditas cordis vita hominis; sic affectionem contrariam prohibendam esse ab animo docet, tanquam prorsus inutilem, imò & mortiferam, tristitiam longè repelle, multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.* Neque luculenta minùs nobis suppeditant testimonia duo Apostolorum Principes, Petrus, atque Paulus: quorum prior exhortans fideles ad animi vitam cælesti pabulo alendam, (*Ep. 1. c. 2.*) *Rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem; addit conditionis locò, si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus: perinde quasi,*  
se-



secundum Hugonis Cardinalis interpretationem, dicat: *Hoc poteritis facere, si quanta sit dulcedo divina, sapitis.* Alter verò adeò multus est, in commendanda novellis Christianæ fidei sectatoribus interiori lætitia, ut vel unus sufficere possit, ad eam contra importunas scrupulosi cujusque censoris oblocutiones tuendam. Quid enim? nonne magnum hunc gentium Doctorem audimus optare, & precari Romanis uberrimam spei, pacis, gaudiique affluentiam? (c. 15.) *DEus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in spe.* Nonne idem ferè Colossensibus, ac Philippensibus repetit, scribens illis: (c. 3.) *Pax Christi exultet in cordibus vestris;* his verò (c. 2.) *& pax DEI, qua exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra?* Nonne in Epistola ad Galatas ex Spiritûs sancti fructibus primos enumerat, charitatem, gaudium, & pacem? (c. 5.) *Fructus autem spiritûs est charitas, gaudium, pax.* Nonne Thessalonicenses, tum eos, qui Philippis erant, Neophytos gaudere perpetim jubet, (1. ad Thes. 6. 5. ad Phil. c. 3. & 4.) hósque præsertim posteriores tam studiosè, & sollicitè, ut videatur præcepti tam suavis repetitione expleri non posse? Nam & tertium datæ ad illos Epistolæ caput exorditur his verbis: *De cætero, fratres, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium;* & in sequenti capite rursus inculca-



culcare idem pergit: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Reliquum est, ut has omnes, aliasque ejusdem generis testimoniationes claudat Christi Domini auctoritas: qui adeò nunquam improbare se ostendit, quòd animæ suæ sponsæ, atque filia de interiori secum conversatione exultarent, ut potius inconsultæ severitatis damnaverit, qui vel externam Apostolorum se præsentem hilaritatem carpebant, dicens: (*Matth. c. 9.*) *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Et eosdem Apostolos, inque illis omnes suos famulos adhortatus disertissimè est, ad lætandum de promissis sibi ab ipso cælestibus bonis: *Gaudete,* inquit, *quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Gaudete, & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælo.* (*Luc. 10. & 6.*)

3. Neque mirum profectò videri debet, quòd eximiè adeò in divinis Literis commendetur spiritualis lætitia. Nimiùm quàm excellentis pretii, manifestæque sunt, quæ illinc utilitates proveniunt. Provenit primò sensibilibus voluptatum contemptus: DEO siquidem fruens anima, cum pabulum ibi inveniat quovis nectare suavius, nihil causæ jam habet, cur Ægypti ollis, cepisque inhiet: quarum alioquin ceu naturaliter appetentissima est, sic ægerrimè abstinentiam posset ferre, nisi earum gustus hac sibi compensaretur præstantiori dulcedine. Nimirum, teste D. Gregorio, (*L. 18 Mor. c. 8.*)



Esse sine delectatione anima nunquam potest: eaque si omnino destituatur, nihilo minorem patitur vim, ac natura pateretur ex vacuo. Quare cœlestibus oblectamentis carens necesse est, ut innato, & sensibili appetitu ad terrena vehementer propendeat: quemadmodum usuvenire in profanis hominibus cernimus: qui, quòd interiori, divinâque non fruantur dulcedine; nullo pacto continere se posse à corporeis voluptatibus dictitant. Cùm è contrario spirituales viri, quique gustaverunt, quoniam dulcis est Dominus, quasvis facilè respuant sensibilibus delectationum illecebras: exemplo D. Petri, cui vel unica cœlestis hujus pabuli in Thabore degustatio suffecit, ut terrena omnia aspernatus exclamaret. (*Matth. 17.*) *Domine, bonum est nos hic esse.* Ita fanè (inquit Author soliloquiorum cum Deo, quæ D. Augustino adscribuntur) *Unam stillam gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem.* (c. 22.) Unde magnus ille Monachorum Pater D. Antonius, suos alumnos monebat, ut hoc præcipuè munimenti genere contra hostis tartarei oppugnationes uterentur: *Una est, dicens, ratio vincendi inimicum, latitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio.* (*S. Athan. in vita c. 22.*) Consteratur Dæmon, ubi servum Dei hilarem, suoque contentum cœlesti Domino viderit, nesciens, unde illum aggredi, quibusque capere illecebris queat; ideoque vel non

au-



audet ità præparatum laceffere; vel si aleam certaminis tentet, vix periculo virium factò cum clade, & ignominia discedit. At, si contra perturbatum, & mœrore dejectum, sibique displicentem intueatur; magna vi, ceu facilem prædam invadit, ponénsque ipsi ob oculos, hinc præsentem novi sui statûs mœstitiam, prioris indè vitæ amœnitates, risus, hilaria, & delicias adeò ex omni parte urgere illum pergit, tamque vivida sub imagine blanda hæc objecta illius animo exhibet, ut miser alleviari illa specie interiorem sui cordis ægritudinem sentiens, non omnino in discrimine succumbendi versetur. Quæ res Joannem Chrysostrum impulit, ut pronuntiaret, (*l. 3. de provid.*) *Omni actione diabolica potentio- rem esse ad nocendum mœroris magnitudinem. Nam & Damon, quoscunque superat, per mœrorem superat. Eum si auferas, nihil à Damone quisquam lædi poterit.* Quæ res spiritualem quemvis virum deberet impellere, ut tristitiam nihilo quàm Diabolo minùs vitaret: nec ullo unquam aditu penetrare in suum animum sineret: sed memoriâ repetens Dei amicum se esse, utque talem ab eo intimè diligi, nec longum post tempus ad æternam cœlestis illius regni hæreditatem capeffendam vocatum iri; ex cogitationibus tam jucundis uberrimi gaudii pabulum duceret: deque sua sorte lætissimus repereret secum: quærant alii aliunde materiem gaudendi, unus mihi ad plenissimam hilari-



tatem sufficit Deus. *Eligant, qui volent sibi partes de rebus. Pars mea, & hereditas mea Dominus. (Aug. in Ps. 34.)*

4. Neque minùs præclarum spiritualis lætitiæ meritum est, roborare animos ad difficillima quæque perfectionis Christianæ exercitia promptè, alacritèrque obeunda: ut de se profitebatur sanctus Rex David, Deo canens: (*Ps. 118.*) *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum: & ut nostrùm quisque experitur, qui afflante præcordia sacre hilaritatis vigore, nullas virtutis asperitates horrescimus, fræno potiùs, quàm calcaribus in divino famulatu indigemus, nec facilem modò, sed & jucundam corporis afflictationem, laborùmque & injuriarum tolerantiam sentimus. Cùm contrà, ubi mœror incubuit, omni destituamur operandi alacritate, ipsummet laboris nomen nos defatiget, ut vix pedem humo tollere præ imbecillitate possimus, postque singulos penè gressus subsistere ad respirandum cogamur. Quare D. Ambrosius meritò affirmat, Evangelici suavitatem jugi non aliunde, quàm ex bona hilariter ei succollantium habitudine proficisci: quibus propterea tam leve ipsum accidit, quàm tristibus grave, & intolerandum videtur. (Or. de Ob. Valent.) *Potest jugum videri grave pondere discipline, suave tamen fructu gratiæ, spe remunerationis, purioris conscientia suavitate. Nec minùs commodè sanctus Thomas Villa-**

no-  
voti-  
pari-  
vita-  
ritu-  
hac-  
tra-  
que-  
Spir-  
qua-  
tur.  
cto-  
cile-  
riog-  
præ-  
bat-  
mis-  
vi-  
si e-  
ster-  
col-  
sti-  
ctu-  
qu-  
des-  
Sec-  
inc-  
bil-  
vi-  
fu-  
re-  
&

no-  
voti-  
pari-  
vita-  
ritu-  
hac-  
tra-  
que-  
Spir-  
qua-  
tur.  
cto-  
cile-  
riog-  
præ-  
bat-  
mis-  
vi-  
si e-  
ster-  
col-  
sti-  
ctu-  
qu-  
des-  
Sec-  
inc-  
bil-  
vi-  
fu-  
re-  
&

no-  
voti-  
pari-  
vita-  
ritu-  
hac-  
tra-  
que-  
Spir-  
qua-  
tur.  
cto-  
cile-  
riog-  
præ-  
bat-  
mis-  
vi-  
si e-  
ster-  
col-  
sti-  
ctu-  
qu-  
des-  
Sec-  
inc-  
bil-  
vi-  
fu-  
re-  
&



novanus in mysticis illis apud Ezechielem rotis, quæ, (c. I.) quocunque ibat spiritus, pariter elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vita erat in rotis, animas repræsentari ait spiritali suavitate imbutas, quæ ab interiori hac spiritûs sancti unctiõne miram agilitatem trahunt ad volandum, nedum currendum, quocunque ille impulerit. (*Serm. de S. Dor.*) Spirituales animæ designatæ sunt per illas rotas, quæ, ubi erat impetus spiritûs, illuc gradiebantur. Unctæ enim sunt oleo devotionis sancto, & ideo ad omnem virtutis motum faciles sunt. Machabæi, sacro eorum Historiographo teste, (l. 1. c. 3.) præliabantur prælium Israël cum lætitia: atque hinc fiebat, ut tot, tamque insignes de validissimis cæteroqui hostium copiis reportarent victorias. Nec secus nobis quoque eveniet, si eadem cum exultatione animi contra hostem tartareum pro Dei gloria, & nostra incolumitate pugnemus. En Apostolum Christi Andream, usque adeò patibuli sui aspectu nîl territum, ut festivis potiùs, amicisque illi vocibus blandiatur: *Salve crux diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata. Securus, & gaudens venio ad te.* Undenam, inquit D. Bernardus, hoc existit tam mirabile, invictumque animi robur, nisi ex divini amoris suavitate à Spiritu sancto ipsi infusa? Quæ si in cordibus item nostris vigeret: *adjuvaret sinè dubio infirmitatem nostram, & sicut B. Andrea crucem, & mortem ipsam,*



fic nobis quoque laborem, & pœnitentiam nostram faceret, non solum non molestam, sed etiam desiderabilem, atque omnino delectabilem esse. Spiritus enim meus, ait Dominus, super mel dulcis, ita ut ne ipsa quidem prævalere queat ejus dulcedini amarissima licet mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem etiam facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctiōni illi, quæ mortem facit suavissimam? (Serm. 2. de S. Andr.)

5. Præterea neminem fugit, tantò nostris operibus plus perfectionis, & apud DEUM meriti accedere, quantò attentius, & pleniori cum voluntate fuerint peracta. Atqui, si Aristoteli, & Doctōri Angelico credimus; (Ar. L. 10. Eth. c. 5. & 6. S. Th. 1. 2. qu. 34. a. 4.) talia esse imprimis solent, quæ gaudens animus facit. Delectationis siquidem pabulum in eorum actu reperiens, nihil causæ habet, cur aliò cogitationes, & curas avertat, prout solenne cæteroquin ipsi est, quando ex tristitia, aut necessitate operatur: sed, quidquid temporis, studiique requiritur, iis exactè absolvendis libenter impendit: simili ratione, ac palatum cibos sibi arridentes, quantum facto usus est, mandit, versatque; catapotia verò, & ingrati saporis pharmaca exorbere quantocyùs festinat. Unde etiam fit, ut quisquis disciplinam, artémve aliquam ex animi sui sententia delegit; multò ulteriores progressus cernatur in ea facere, quam  
si



si eidem invitâ minervâ , & coactus operam navet. Quod cùm probè Athenienses intelligerent , teste Gregorio Nazianzeno , priusquam suos liberos huic , vel illi professioni addicerent , explorare illorum propensionem consueverant , dispositis ante ipsos variarum artium instrumentis : ( *Epist. 117.* ) *Ut , qua quis delectabatur , & ad quam sponte currebat , eam doceretur.* Denique , quod cum tristitia facimus , nunquam , iudice D. Thoma , ità bene facimus , sicut illud , quod facimus cum delectatione , vel sinè tristitia. ( *1. 2. qu. 37. a. 3.* ) Quocirca quantæ nobis curæ est , ut grata divino conspectui sint , quæ agimus ; tantæ esse item debet , ut ea gestienti animo , & cum alacritate obeamus. Alioquin , quomodo placere poterimus Domino in ceremoniis mente lugubri ? ( *Vid. Levit. c. 10.* ) cùm ille testatus planissimè per Apostolum sit , se hilarem datorem diligere. ( *2. ad Cor. 9.* )

6. Adjice supradictis lætitiæ fructibus fomentum , quod ex ipsa DEI , proximique amor capit. Cùm enim insitum à natura cuivis amori sit , cor dilatare , & animum interiori suavitate perfundere ; fieri non potest , quin plurimum ille habeat & affinitatis cum lætitia , cui plùs , quàm alteri cuiquam affectui suæ hujusmodi proprietates conveniunt ; & dissensionis à tristitia , quæ maximam unà contrarios effectus producendi vim obtinet. Præterquam quòd spiritua-



lis lætitia ex DEI, & bonorum cælestium amore suam originem ducit : ideóque, velut calor ab igne in materia excitatus, hanc illi vel concipiendo, vel, si in ea conceptus jam sit, conservando, fovendóque, habiliorem reddit ; sic & ipsa amorem divinum, à quo producta in animo est, nutrire in eodem, ac tueri consuevit. Nec minùs, quàm ratio, experientia id persuadet. Videmus nempe homines, qui sereno, & hilari animo sunt, peculiari cum facilitate, ac propensione in divinæ charitatis actibus sese exercere : eosdémque ad bene merendum de proximis, & illorum tum imperfectiones leniter ferendas, tum calamitates amanter sublevandas, promptos quàm qui maximè esse : contra omnino, quàm ab hominibus tetricis, & importuno mœrore affectis fieri consuevit, quibus nihil plerumque est in quotidiano convictu insuavius, nihil aliorum vitiis, atque erratis æquum minùs, nihil ad invidiam, ad iram, ad pejora suspicanda, adque sodalium actiones fugillandas, & sinistrorsum detorquendas proclivius. Unde B. Laurentius Justinianus causam habuit scribendi : *Non habet locum mœror, ubi sancta charitas posuit habitaculum. Augmentum charitatis tristitia diminutio est. Certum namque est, quòd DEUS deprimentem non approbat tristitiam, cum tantis præconiis extollit charitatem.* (De Discipl. & Perf. Mon. Conv. c. 16.)



7. Hæ porrò utilitates ut testatiores adhuc sint, juvat eas duobus exemplis comprobare, quæ legisse olim memini in vita Nicolai Zucchii, viri è nostra Societate, non vulgarem sanctitatis famam elapso proximè sæculo adepti. Primum suppeditat Religiosa mulier, quæ magno perfectioris vitæ studio permota, Zucchii institutionem expetiit: accitòque ad cœnobium Patri inquit, ego sancta esse vellem; quid, ut talis sim, factò opus mihi est? DEI famulus, cui doctrina hujus capituli ipenitùs defixa in animo erat, nihil ei aliud suggessit, nisi illum Psalmi trigesimi sexti versiculum: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*: monens etiam, atque etiam, curaret, *proponere DEum in principio latitiæ suæ*, quæ illi placerent voluptati sibi ducere ex illius memoria, consuetudine, & obsequiis capere suarum delectationum materiem. Ità ille tunc temporis: quidque frugis in audientis animo cœleste id semen peperisset, non nullis post annis rescivit: quando nimirum ad eandem fato jam proximam locò sacerdotis, quem illa nominatim sibi mitti postulârat, (cùm is nescio, quo impedimenti genere prohiberetur) ablegatus ipse est. Excepit gaudens agnitum ægrota mulier, útque vicissim ab eo recognosceretur, commemoravit ei Davidicum illud, *Delectare in Domino*, quò ad sanctitatem consequendam instructa jam dudum ab eo fuerat.



Et hanc quidem, subiecit, longissimè abest, ut consecuta ego sim, non alia, nisi ignaviae meae causa. Quamvis sancta etiam vocari haud temerè possim, si mecum conferar, qualis olim fueram, priusquam uti tam salubri monito inciperem; & in dicti sui fidem exposuit, quot, quàmque insignibus donis cumulata à DEO fuisset, ex quo suam omnem lætitiã, & delectationem in eo collocare instituerat. Exquisitis demum Patri actis pro fructuosissima institutione sua gratiis, ab eoque ad supremum iter confirmata, inter plenas amoris cum DEO colloquutiones piè obiit. Alterum exemplum huic simillimum, & prorsus gemellum in juvene accidit: qui & ipse migraturus è vita, eundem DEI servum morienti sibi adesse ad supremæ necessitatis solatium magnopere optavit. Cùmque hic evocatus præsto esset, æger læto vultu, & peramantibus verbis eum excipiens; pro quantum, ait, Pater, tibi debeo! octo menses jam sunt, cùm ad te accessi, documentum aliquod postulans, unde ad æternam salutem, & spiritualem animæ profectum juvarer. Tu brevi sermonis, doctrinæque compendio tria duntaxat hæc verba, *Delectare in Domino*, ut memoriæ inculperem, & studiosè observarem, præcepisti. Felix sanè præceptum, & de quo jure profiteri cum Hebræo sapiente possim, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illo, &*  
*innit-*



*innumerabilis honestas per manus illius ( Sap. c. 7. )*  
 Quantas enim utilitates per totum hoc tempus ex usu illius ceperim, non invenio, quibus verbis dignè exprimam. Testimonio tibi sit hoc folium, ubi earum nonnullas descripsi: cùmque dicto Patri folium porrexit: quod ille, tanquam præclarum divinæ liberalitatis erga deditas sibi animas monumentum, longo post excessum juvenis tempore affervatum penes se voluit: nunquam illud relegens, quin exultaret in Domino, & novos flagrantioris erga ipsum charitatis ardores conciperet. ( *L. 2. c. 6.* )

8. Si ergo & sacra eloquia adeò disertè nos hortantur ad lætandum in DEO, & tam ratio, quàm experientia palam ostendunt, nihil esse animabus spiritali hac jucunditate utilius; quisnam ultrà erit, qui eam in DEI servis vituperare ausit, perinde quasi nimiam virtutis suæ confidentiam in eorum animis foveat, & sensibili captos dulcedine non sinat, pro eo ac perfecta virtus requirit, solidioribus aliis corporis castigandi, geniique subigendi exercitiis vacare? Profectò, si noxii hujusmodi effectus communiter provenire ex ea solent; quæro primùm, quonam pacto Spiritum sanctum latuerint, dum eam toties tam in veteri, quàm in nova Lege suaderet, commendaretque. Præterea, esto spiritualem lætitiæ sua circumstent pericula, nullisne obnoxia est tristitia? An potius, ut suprà demon-



stratum est, aliis compluribus, neque iis sanè remotis, ac fortuitis, sed penitùs sibi, & naturæ suæ insitis? Non itaque ad prudentiam pertinet, ea omnia declinare, ubi aliquod noxæ, atque fraudis discrimen occurrat. Alioquin per nullam incedendum spiritualis vitæ semitam foret: uti nullam est reperire ab omni offendiculo vacuum, & ubi complures suam lapsi per vecordiam non sint. Sed proprium cordati cujusque viri est, eam præ aliis eligere, cujus pericula majoris momenti utilitatibus compensari solent. Qualem esse spiritualis potiùs lætitiæ, quàm spiritualis mœstitiæ semitam, quæ hætenus disputavimus, sat perspicuè demonstrant. Tota quippe alterius perfectio, atque utilitas in suis jugiter deplorandis criminibus, sèque illorum causâ deprimendo consistit. Quibus tamen bonis affine est periculum, ne infelix malorum comitatus, dejectio animi, stupiditas mentis, spei languor, charitatis tepor, tædium in orando, inque agendo segnities accedat. Cùm sancta hilaritas, & nullus hujusmodi vitiis laboret, & proprias affectûs contrarij utilitates præstantioribus aliis abundè compenset: facilitate nimirum, quam secum unà animo infert repudiandi bonorum sensibilibus illecebras, spiritualis vitæ asperitates generosè invadendi, orationi libenter vacandi, & virtutum omnium, sed præcipuè charitatis officia impigrè, alacriter-  
quas



que exercendi : neque interim occasiones ,  
 quas præbere homini potest , sive arrogan-  
 tiæ , sive immodicæ securitatis , sive in sen-  
 sibili ejus dulcedine , tanquam in Christia-  
 næ totius perfectionis summa acquiescendi ,  
 adeò superatu difficiles sint ; ut præ mali  
 tam dubii , ac remoti formidine præclaris-  
 simis , & certissimis aliis illius emolumen-  
 tis nuntium nos remittere expediat. Audi-  
 amus , quænam hic fuerit D. Laurentii Ju-  
 stiniani sententia. *Consultius , securiusque*  
*( scribit ille ) dulcedo devotionis , & spiritualis*  
*latitia in pia DEI , quàm tristitia pro communi*  
*usu capienda est.* Rationemque hanc dicti sui  
 reddit , quia cum DEI famulus ab omnibus  
 genii oblectamentis abstinere se debeat , &  
 assiduum cum suis tam corporis , quàm ani-  
 mi cupiditatibus bellum gerere , neque pau-  
 cas præterea partim à morbis , & naturæ  
 imbecillitate , partim à diabolo , illiusque  
 ministris subire infestationes cogatur ;  
*necesse est , ne succumbat , ut spirituali latitia ad*  
*tolerantiam animetur.* Proinde prudentissimum  
*consendum est , & DEO gratum ; ut DEI ser-*  
*vus , pondere miserrima carnis prægravatus , à da-*  
*monibus tentatus , ab hominibus lacestus , cu-*  
*ris temporalium occupatus , & à visibilium volup-*  
*tatibus illectus , DEO suo semper in spiritus ex-*  
*ultatione servire contendat : maximè cum ad hoc*  
*divina exhortatione promoveatur , dicente Pro-*  
*pheta , servite Domino in latitia. Cui enim An-*  
*gelorum consortium , cælorum possessio , DEI vi-*  
 dis-



sio, & cœlestis repromittitur gloria, debetur indubitanter cordis lætitia. Sub quæ Religiosos speciatim Viros alloquens, ita orationem concludit. Tu itaque, ô serve Christi, tu, inquam, qui ex miserantis DEI dono ad monasticam vocatus es conversationem, depone cunctum animi mœrorem, & omnem tristitiam te deprimentem, & in Domino semper gaude, qui te de cœnoso sæculi naufragio assumere, in loco securitatis, voluptatis, & pacis collocare disposuit. Te enim de tenebris delictorum in admirabile lumen gratiæ suæ vocare, te collegio Sanctorum suorum aggregare, te in ministrum suæ laudis eligere, tibi incerta, & occulta sapientiæ suæ revelare, tibi judiciariam potestatem, & vitam æternam promittere ineffabili bonitate dignatus est. Tibi iterum dico, qui talis es, gaude in Domino, ut illi a lacrius, & ardentius valeas famulari, ut per dilatationem jucundissimæ charitatis expeditius viam mandatorum ejus currere queas, ut per jugem gratiarum actionem, & ignitum cordis amorem amabiliorem te illi exhibere queas. Pro his causis securè, & indubitanter gaude. (De Disc. & Perf. Mon. Con. c. 16.)

9. Atque hinc videmus tam arctum inter amicam cum DEO necessitudinem, sanctamque in DEO exultationem fœdus intercedere, ut vix alteram ab altera separari unquam contingat: sed, quantò quisque in illa plus proficit, tantò hac ferè sit plenior: ideòque verum, & oraculi instar appareat, quod Clemens Alexandrinus pronuntiavit,  
(L.



( *L. 7. Strom.* ) *Universam justi vitam celebrem quemdam, sanctumque esse diem festum.* Et quamvis hæc jucunditas, ut bonum animi proprium, non semper, neque in omnibus DEI amicis exterius promineat, sed eorum multi pro externa vivendi austeritate videntur *quasi tristes*; quam plurimi tamen expressum vel in ipso oris habitu interioris lætitiæ jubar præferunt. In cujus rei exemplum satis mihi erit paucos quosdam hinc afferre, & eos quidem non aliunde, quam ex tetrico eremi squalore productos. Talis certè fuit S. Abbas Pachomius, qui, ut in vita ipsius traditur, ( *c. 53.* ) *Quamvis toto corpore attenuatus esset, faciem tamen habebat hilarem.* Talis Romualdus, severissimæ Camaldulensis familiæ Institutor, de quo Romani Breviarij Lectiones testantur, *vultu adeò semper lato fuisse, ut intuentes exhilararet.* Talis Abbas Theonas, quem, si Palladio testi oculato credimus, quamvis solitariâ cellula inclusus perpetuum ad triginta annos silentium prorogasset; ( *Hist. Laus. c. 50.* ) *Licebat videre habentem vultum Angeli, latis oculis, & totum plenum maximâ gratiâ.* Talis magnus monasticæ vitæ Author, Antonius, quem D. Athanasius refert, in quantavis, Monachorum multitudine potuisse ab iis, quibus nunquam antea conspectus fuerat, per extraordinariam quandam è vultu promicantem lætitiâ dignosci: *Nam semper faciem hilarem gerens liquido ostendebat, se de cele-*  
titiæ



*stibus cogitare.* Addens præterea, hujus lætitiæ tenorem adeò immotum fuisse, ut nunquam recordatione peccati tristitiâ os contraxerit; ac proinde vix quemquam è tam multis, à quibus conveniebatur, repertum, qui eo viso, auditoque tristitiam non mutârit in gaudium. (In vit. c. 40. 13. 55.) Talis demû numerosa illa Apollinis vel Apollonii Abbatis familia, quingentis ferè Monachis constans, de cujus mira, communique hilaritate commemoratus paulò antè Palladius hæc habet: *Licebat eos videre exultantes in solitudine, adeò ut nullam ejusmodi exultationem videre aliam liceat, nec latitiam corpoream.* Neque enim erat inter eos aliquis mæstus, aut tristis: excitante nimirum, ac fovente hos in omnium animis sensus, ipsomet universi cœtûs sapientissimo Magistro, & Parente: Qui identidem monebat eos, dicens, non oportere prorsus inesse tristitiam his, quibus salus in DEO est, & spes in regno cœlorum. *Tristentur, ajebat, gentiles & lugeant Judæi, plangant sinè cessatione peccatores: Justi verò latentur.* Nam, si hi, qui terrena diligunt, super fragilibus, & caducis rebus latentur; nos, qui tantæ gloriæ spem, & æternitatis habemus expectationem; cur non omni exultatione latentur? Aut non & Apostolus nos ità monet, dicens, *semper gaudete?* (Hist. Laus. c. 52. & Rosw. in V. Patr. L. 2. c. 7.)

10. Tales, inquam, hi fuère, aliique inter DEI famulos plurimi. Et talis vellem, tu itidem esses, amice Lector, studens,  
vul-



vultus, & consuetudinis hilaritatem conjungere: ut, quantum ex prima utilitatis ipse capies, tantum aliis per secundam utilis fias. Nimis quippe innata, & communis humano generi est, ut ad jucundam vivendi rationem propensio, sic à tetrica, & tristi alienatio. Nihilque validius profanorum hominum vulgus à spirituali vita capeffenda avocat; quàm quòd eam instar larvæ concipiunt, luctum undique, & horrorem spirantis, adeò ut nomen illi dare idem sit, ac æternum vale risui, & lætitiæ dicere. Qui profectò, si in famulorum DEI vultu, & congressu amœnum quoddam iutueantur modestæ quidem, sed sinceræ jucunditatis ver efflorescere: credi vix potest, quantò æquiores erga sancta eorum instituta animum sumant. At, si contra illos externa omni specie admœstítiam compositos cerneant; quotusquisque non videt, confirmatum indè iri, quam de divinæ servitutis tetricitate persuasionem mente imbiberunt, horrorémque consequenter, & metum, quo eandem idcirco averfantur? Vidit certè id Annæus Seneca, causamque indè sumpsit præcipiendæ Philosophiæ sectatoribus, ut in corporis habitu, vivendique usu humanos se, & comes exhibeant. (*Ep. 5.*)

*Alioquin, subdit, quos emendari cupimus, fugamus, & à nobis avertimus. Unde etiam col-*

Y

ligi



ligi potest, uternam aptiorem ad concilian-  
 dos spirituali vitæ Auditores suos, Lecto-  
 resque insistat viam: illéne, qui eam pro-  
 fessuris opus esse prædicat, assiduo in mœ-  
 rore, atque luctu ætatem traducere, ni-  
 hil aliud mente unquam volutando, & ha-  
 bendo præ oculis, nisi crimina admissa,  
 iratum Numen, sempiternæ mortis pericu-  
 la, aliásque hujusmodi feralium objectorum  
 imagines? an qui eam docet, veriùs esse,  
 qualis à cælesti suo Institutore appellata est,  
*jugum suave*: adeò ut nemo jucundiùs vivat,  
 quàm qui eam profitetur: justas quippe ha-  
 bens causas DEum intuendi, veluti suum  
 amantissimum Patrem, & cæleste illius re-  
 gnum, veluti suam sempiternam hæredita-  
 tem: objecta certè tam delectabilia, ut eo-  
 rum ruminatio libamentum quoddam vide-  
 ri futuræ beatitudinis queat. Certè si ob-  
 servemus artes contrarias, quibus hinc DE-  
 us ad se trahere, dæmon indè ab eo revo-  
 care animas solet; palàm videbimus, suam  
 à primo servitatem iis repræsentari, tan-  
 quam facilem, jucundam, & hilarem;  
 ab altero autem, quasi asperam, tristem,  
 & horridam. Quocirca imitetur hic, cui-  
 cunque ità libet, dæmonem, capitalissi-  
 mum animarum hostem: ego utique satius  
 arbitror, DEum imitari, benevolentissimum  
 earum Parentem.



11. Superest duntaxat videre, quonam pacto perpetua hæc hilaritas, quam veluti animarum divino famulatui, & amoru vacantium propriam commendavimus, cum quibusdam conveniat, primo ipsi aspectu adversantibus sacrorum Voluminum dictis: qualia nonnullis videbuntur tum ea Christi Domini verba, quibus & *beatos* appellat, *qui lugent* ( *Matth. 5.* ) & discipulis suis fletum, mœrorémque prænuntiat, dicens: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos verò contristabimini;* ( *Joa. 16.* ) tum illud Davidis de se testimonium, ( *Psf. 37.* ) *Tota die contristatus ingrediebar: nec dissimile alterum D. Pauli, ubi scribit: ( Ad Rom. 9. ) Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Ad hanc igitur oppositionis speciem è medio amoliendam, dico primùm, luctûs, & mœroris nomine ordinarias interdum significari ejus causas: insectationes nimirum, compedes, plagas, & id genus ærumnas, unde tristitia excitari naturaliter solet. Et hoc utique in sensu accipienda est illa Christi prædictio: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit:* nempe quasi tunc dicat, mundus præsentis vitæ bonis fruetur: vos verò contraria illis mala exterius affligent. Quemadmodum in eodem significatu alteram quoque sententiam, *Beati, qui lugent*, accepit Petrus Chrysologus; Psalmum explicans nonagesimum quartum.



Cùm enim , recitatis illius primis vocibus : *Venite , exultemus Domino* , sibi subiecisset , *& ubi est illud , Beati , qui lugent , & va vobis , qui ridetis ?* respondet confestim , ( *Serm. 47.* ) *Planè beati , qui lugent mundo* , id est , qui à mundi oblectamentis se abstinēt : *& va ! qui rident mundo* , nimirum , qui se mundi bonis oblectant. Sed hic enim verò vel solius corporis , vel appetitûs quoque inferioris dolor nullam vim habet perturbandæ iucunditatis , & lætitiæ , quam amantes DEum animæ ex illo , ac cœlestibus illius bonis in suprema sui parte percipiunt : quin imò eam solet potius intendere , ab eâque è contrario mitigari , nec rarò etiam prorsus extinguī. Sancti enim Viri , quantò graviora pro DEO patiuntur exteriùs : tantò ex DEI amore plùs exultant interiùs. Tantâque interdum hæc illorum spiritualis exultatio est ; ut vel non advertant , vel malorum locò non habeant , nullòque adeò cum ægritudinis sensu excipiant , quæ humanitus dura , & perpeffu molesta sibi accidunt.

12. Dico præterea , nunquam mihi id mentis fuisse , ut nullum vel interioris tristitiæ genus agnoscerem , sanctum , laudabile , & servorum DEI proprium. Hujusmodi enim procul dubio est omnis tristitia , quæ seu de nostris malefactis concipitur , & juxta D. Paulum , ( *2. ad Cor. c. 7.* ) *Pœnitentiam*



*in salutem stabilem operatur ; seu mala proximorum commiserans , solet flere cum flentibus ; seu nostram in terrestri hoc exilio absentiam à DEO pro materia lugendi habet , cogens exclamare animam : Heu mihi , quia incolatus meus prolongatus est. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte , dum dicitur mihi quotidie , ubi est DEUS tuus ? Illud tantum statuo , nullum ex prædictis sanctæ , ac fructuosæ tristitiæ generibus cum ea spiritali lætitia pugnare , quam hoc capite commendandam suscepi. Esto quippe , gaudium , & mœror sibi mutuò adversentur ; hoc tamen non accidit , nisi quando in appetitu sensibili excitantur , & resident. Nam cæteroqui , quando actus sunt à naturali appetitu liberè elicit , nullam inter se oppositionem habent , sed intrà voluntatem amicè , & socialiter cœeunt. Imò tristitia , si secundi hujus generis sit , potest voluntati , juxta D. Thomæ sententiam , esse causa gaudendi : idque ex duplici capite : primò scilicet , ratione utilitatis , quam veluti honestus , & laudabilis suus actus ei affert. *Voluntas , & ratio ( sic ille ) supra suos actus reflectuntur : & hoc modo tristitia potest esse materia delectationis , non per se , sed per accidens , in quantum scilicet accipitur in ratione boni. Secundò autem , quia memoriam , ideóque & amorem delectabilis cujuscumque objecti in animo renovat. Dicendum ( en verba ejus-**



dem ) quod dolor ipse potest esse delectabilis per accidens , in quantum scilicet facit recordationem rei amata , & facit percipere amorem ejus , de cuius absentia doletur. Siquidem , cum amor sit delectabilis ; & dolor , & omnia , quæ ex amore consequuntur , sunt delectabilia. ( 1. 2. qu. 35. a. 2. ad 2. & ad 3. & qu. 32. a. 4. & 3. p. qu. 83. a. 2. ad 2. )

13. Et revera interius famulorum DEI gaudium à triplici supradicto mœrore augeri potius , quàm minui , facile cuivis cognitu est. Nam , si primum illius genus intueri libeat , nempe eum dolorem , quo anima DEI amans suam in eo toties offendendo præteritam improbitatem deplorat ; haud tardè in ipso agnoscemus eam affectûs amari simul , & suavis , antithesin , quam Joannes Climacus admiratum se ibi esse profiteretur his verbis , ( Gr. 7. ) *Equidem conjunctionis vim considerans stupeo , quonam modo ea , qua luctus , & mœror dicitur , gaudium intrinsecus , ac lætitiã , veluti mel , & favum , comesta possideat.* Imò etiam perspicuè videbimus , neque occasionem esse de illa admodum obstupescendi , tanquam de effectu naturæ absõno , sed manifestas , pèrque validas rationes existere , cur , qui dolorem ejusmodi animo concipit , suavitatem inibi reperire , ac dulcedinem debeat : tum quia nequit illum concipere , quin eodem tempore divinam bonitatem , pulchritudinẽque ,



que, vel unicum, vel præcipuum illius incitamentum sibi repræsentet, ac diligat; tum quia, de suis malefactis dolendo, scit DEO se gratificari, quo nihil in tota rerum universitate plùs amat; tum quia per occasionem detestandi injurias à se olim ei factas, benignitatis simul meminit, qua condonatae sibi ab eo sunt; tum denique, quia, quanto horret magis pristinam suam exosi DEI capitis sortem, tantò indè clariùs intelligit præsentem reconciliatae cum eo amicitiae felicitatem: objecta sanè singula mirè ad delectandum idonea, quæque illum de peccatis mœrorem incredibili suavitate respargunt; adeò ut, ceu à D. Gregorio animadvertitur, (*In Ps. 2. Pœnit.*) *infirmi-  
sua excessus deplorans, indè refectionis intimæ dulcedinem sentiat, unde vim suavissimi amoris per lacrymas emittit.* Idem dic de secunda etiam ægritudine animi, quæ in contemplandis reliquorum mortalium ærumnis à fraternâ erga illos charitate producitur. Cùm & ipsa, quaquaversum spectetur, sive ut actus supernaturalis magni nobis meriti ad divinæ gratiæ incrementum; sive ut intimi adversus DEum, proximósque amoris exercitatio nequeat, secundùm prolatas paulò antè Angelici Doctoris rationes, jucunditatis suæ fructu carere. Idque adhuc manifestiùs colligitur ex miserationis eo sensu, quo tragicos eventus sive in historiis legentes, sive



in scenis spectantes afficimur: sensu nimirum, quem unusquisque perlibenter in se ipso experitur, studiosè illius causas, & stimulos quærens, tantòque plus voluptatis percipiens; quantò ille vehementiùs sibi animum fodit. Nec diversa tertii itè mœroris est ratio, mœroris videlicet, quo animæ DEum amantes ex illius absentia discruciantur, atque, ut sic loquar, tabescunt. Cùm enim non aliunde is proveniat, quàm ex altè concepta animo divinæ pulchritudinis specie, ardentissimâque cupiditate, & certa propemodum spe illius quandoque intuendæ; ut nihil hujusmodi incitamenti est dulcius; sic nullis explicari verbis sat potest quanta dulcedine, quos afficit, repleat: ipsosmet fletus in sapidissimum iis pabulum vertens, adeò ut jure possint cum Psalmista canere: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEus tuus? (Ps. 41.)*

14. Adverto nihilominus, hosce affectus doloris, quamvis suavitate permistos, neque ideo spirituali lætitiæ adversantes, haudquaquam ità assiduè exercendos, tamque diu continuandos videri; ut ne justum aliis divini amoris affectibus jucundis, & tranquillis locum relinquunt. Neque mea hæc est animadversio, sed à D. Laurentio Justiniano mutuata, qui cùm dixisset, (*De Disc.*



*Disc. & Perf. Mon. Conv. c. 16.) Animam Dei amantem contristari de admissis criminibus, non propter se, sed eum, cuius contempsit imperium, ut satisfaciat dilecto, ut revocet illum ad se, quem propter culpam à se declinasse cognoscit, haud perpetuum in ipsa manere hunc dolorem subdit, sed tamdiu, quamdiu revocat dilectum: quem, mox ut ad cordis sui habitaculum appropiare per internam intelligit aspirationem; cunctum, quem prius conceperat, abjicit mœrorem, se reddit hilarem, se jucundam facit, ut lata facie occurrat venienti. Idémque sentire visus est Seraphicus Pater Franciscus ( *Apud Rodr. P. 2. tr. 3. c. 7.* ) Cùm nescio, quem è suis conspiciatus, tristi, & nubila oris specie, importunum ejusmodi mœrorem redarguit, dicens: mœrendum DEI servis non esse, nisi alicujus patrati fors criminis causâ; neque etiam tunc longiùs, quàm dum illud sibi fuerit remissum. Si ergo peccati conscientia te mordet, Prophetæ pœnitentis exemplo DEum ora, ut illius tibi veniam indulgeat, animique simul pacem & jucunditatem, qua prius fruebaris, restituat: *Redde mihi latitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* ( *Pf. 50.* ) Sed imprimis utendum hac regula est, circa quotidianas, & leviores noxas, adeò ut in earum quampiam ex humana fragilitate incidentes, post brevem pœnitentiæ actum pristinam continuò alacritatem, & quietem animi resuma-*



mus, tanquam si nil ejusmodi commissum à nobis fuisset. Nam alioqui, si in tanta communiter id genus culparum frequentia diu permanere oporteret conceptam de unaquaque ægritudinem; quodnam nobis tempus ad suaviter, quieteque agendum cum DEO superesset? Præsertim quòd dolor seu de ordinariis, & venialibus culpis, seu de ipsismet capitalibus, & mortiferis, quarum rei olim fuerimus, potest modum excedere, non solum si justo diuturnior sit, verum etiam si turbulentus, & inquietus addeò ut animum diffidentia, & consternatione dejiciat: ut prudenter observavit Marcus Eremita in suis de paradiso capitibus, ubi salutiferam, utilémque pœnitentiam à noxia distinguens: *Quadam est, inquit, contritio cordis recta, & utilis tendens ad ejus illustrationem: est & altera perversa, & noxia, tendens ad perturbationem ipsius* Quocirca, quanti momenti est ad vitæ spiritualis profectum ingenti cum alacritate, ac vigore animi per illius semitas tendere; tanto studio provideri à DEI famulis convenit, ne turbulento huic dolori locum unquam in suis cordibus præbeant: curando videlicet, ut tristitia, quam interdum de suis malefactis concipiunt, sit juxta Cassiani præscriptum (*L. 9. de Sp. Trist. c. 11.*) *Mansueta, suavis, quodammodo lata, & spe profectus sui vegeta.* Quallis utique erit, si non aliunde, quàm à divina  

divina



divina charitate originem ducat ; nec ab animosa , & suavi disjungatur divinæ benignitatis fiducia.

15. En igitur , quonam pacto , qui per vias divini amoris incedit , quamvis non omittat jam propria delicta , jam alienas calamitates , prout tempus , resque tulerit , considerare , & deflere ; perpetuam nihilominus spiritualis lætitiæ jucunditatem in animo foveat. Fovet eam jugiter , quia & plurimum temporis ponit in ruminandis materiis , nihil , nisi suave exhibentibus ; ( quales sunt exempli gratiâ infinita DEI tum in se ipso amabilitas , tum erga nos bonitas , ejusque suæ præsens , utpote amici , seu posthuma , utpote in æternitate parata felicitas ) & , quando ad alia tristiora objecta se vertit , in iis quoque , ut jam vidimus , uberes venas novæ delectationis nanciscitur : nihil aliud præstante nativa eorum amaritie , nisi ut sensibilior , gratiorque fiat ordinarii pastûs dulcedo. Quam si unam semper , ac sinè ulla contrarii saporis vicissitudine , aut temperatione gustaret , brevè præ nimia assuetudine minùs jucundam experiretur , imò etiam aspernari , & fastidire eam inciperet ; velut ipsum manna , etiamsi Angelorum panis ; & quædam saporum quasi universitas esset ; quia tamen unus , atque idem cujusvis diei cibus , in  
fasti-



fastidium Judæis vertit, adeò ut nausea-  
bundi exclamarent : *Nihil aliud respiciunt  
oculi nostri, nisi Man. Anima nostra jam nau-  
seat super cibo isto levissimo.* ( *Numer.  
c. 11. & 21.* )

F I N I S.

















